




QVAESTIONES TERENTIANAE.

SCRIPSIT

EDUARDUS A BRUNÉR.


EX ACTORUM SOCIETATIS SCIENTIARUM FENNICAE TOMO IX.

HELSINGFORSIAE

ex officina typographica Societatis litterarum Fennicarum.

MDCCCLXVIII.

Vidi: C. R. Lindberg.



I. De canticis et tibiis fabularum Terentii.

Mirum est silentium, qvo editores Terentii omnem in explicationibus suis singulorum mentionem canticorum, qvasi aut nulla sint aut res nullius sit momenti, omittunt. Qvae qvidem res cum tamen in enarratione harum comoediarum satis sit gravis, esse autem in iis cantica veteres praefationes, qvae Donati nomen praescriptum habent, multis verbis memorent, summae illius taciturnitatis causa ponenda est in incerto qvodam statu hujus qvaestionis, qvo factum sit, ut, qvod nondum ad liqvidum perductum esse videretur, id tacitum praeterire placuerit. Et tamen jam postqvam operae pretium eum esse facturum, qvi cantica in Terentii et Plauti fabulis a diverbiis distingveret, hoc vero in Plauto plerumqve facilius esse qvam in Terentio, Godofredus Hermannus ante hos qvattuor et qvinqvaginta annos dixerat*), Godofr. Aug. Bened. Wolffius tertio decimo anno post id tempus eam ipsam rem, qvam exqvirendam Hermannus commendaverat, evolvere, etiam in Terentio, ita studuit, ut qvaestionem non is qvidem absolutam et perfectam, sed bene inchoatam neqve postea reticendam reliqverit**). Sunt nonnulla apud Terentium cantica, qvae nihil habentia dubitationis existimari debuerint, qvamqvam de uno solo in commentariis Donati hoc esse canticum relatum est, neqve plus qvam duo metri tali a diverbiis differentia, ut versus cretici, bacchiaci, dactylici, choriambici inter iambicos et trochaicos recepti sint, lyricam naturam indicant, qva ex re ea maxime pendet difficultas cantica a diverbiis dignoscendi, qvam in Terentio majorem qvam in Plauto esse Hermannus ait. Eqvidem, cum jam ante cognitum mihi libellum Wolffii rem ab editoribus neglectam mecum dijudicare conatus essem, post eum mihi librum tandem ex antiqvaria libraria Germaniae impetratum tam multa animadverti a Wolffio eodem modo recte constituta, ut in his nunc ejus, tamqvam ducis, vestigia

---

*) In dissertatione *de cantico in Romanorum fabulis scenicis;* v. ejus Opuscul. vol. 1 p. 298.

**) *De canticis in Romanorum fabulis scenicis* (Halis 1824, programma Portense).

perseqvi videar, sed haec tamen ejusmodi fere esse, qvae nullius oculos, paulo diligentiore adhibita pervestigandi cura, fugere oporteat, in aliis autem corrigenda esse, qvae ille disseruit, et vel supplendam vel contra circumcidendam canticorum Terentii, qvam proposuit, enumerationem; qvalem ut praeterea neminem adhuc exhibuisse certum videtur, ita ne ad ulla qvidem cantica hujus poetae demonstranda qvisqvam aliorum, qvantum circumspicere potui, accessit praeter Benfejum et Grysarum, qvorum ille tantum in annotationibus ad Andriam et ad Adelphos et uno loco ad Eunuchum hujus rei meminit*), hic autem in opere ad aliud spectante obiter pauca de eadem re disputat**). Nec vero Wolffius de iis canticis, qvae esse vere dixit, omnia attulit, qvae ad probandum apta et ad explicandum necessaria fuerant afferenda; sed vix qvidqvam consideravit praeter varietatem et motum concitatum metri et acres atqve vehementes sensus personarum secum loqventium. Qvod non omnibus usus est notis cognitionis et judicii, id cum ad alia, tum vero ad hoc pertinet, qvod in qvaerendo, qvae partes fabularum cantica essent, nullam rationem habuit eorum, qvae tradita sunt de cantu tibiarum in his comoediis. Ac tamen hujus cantus tum hilarior tum gravior et tristior natura certe haud minimum iis partibus fabulae, qvae cantica erant, accommodata fuit, propterqve eam causam neqvaqvam sunt inter se sejungenda, qvae de canticis qvaeqve de tibiis statuuntur. Verum contorta et impedita qvaestio sane est de modis musicis fabularum Terentii, qvoniam ea, qvae de harum tibiis in titulis sive didascaliis scripta sunt, saepius cum verbis praefationum Donati pugnant, magnaqve insuper etiamnum est dissensio doctorum de ipsarum tibiarum ratione ac diversitate. Universae huic de tibiis qvaestioni ut clarior lux e trac-

---

*) „*Publius Terentius im Versmass der Urschrift übersetzt*" (Stutgardiae, 1837). — Editorem Terentii nullum observavi de singulis canticis qvidqvam attulisse, nisi qvod Reinholdo in editione Eunuchi ad clausulam in act. 2 sc. 3 v. 1 aliqvid de cantico subolet. Is vero tanta perversitate verba facit, velut qvod etiam scenae superioris versus 53 et 54 canticum vel cantici partem esse ibidem (p. 116) arbitratur, ut facillime credam Friedlaendero (in Beckeri et Marqvardtii Antiqvitat. Roman. IV. p. 539, annot. 3453) et Grysaro (in ea, cujus titulus est infra, commentatione p. 371, annot. 1) librum ejusdem viri „*Ueber die Anwendung der Musik in den Komödien der Alten*" (Pasewalciae 1839) „plane inutilem" et „alucinantem" esse, qvem librum nihilo minus reqvisitum accipere mihi non contigit. In recentissima et uberrimis enarrationibus instructa editione Andriae (*Bibliotheca Latina minor*. II. Lips. 1865) — ut hoc exemplo utar — singula cantica ne verbo qvidem monstrat Klotzius, vir clarissimus.

**) „*Über das Canticum und den Chor in der römischen Tragödie*"; vid. commentationum Academiae litterarum Vindobonensis sub inscriptione *Sitzungsberichte der philosophisch-historischen Classe* collectarum tom. XV (anni 1855) p. 365 sqq.

tatione ejus nostra orta esse dicatur, fore fidenter speramus, ac fuit nobis propositum non minus de tibiis Terentianis qvam de canticis judicium. Disqvisitio ejus partis didascaliarum Terentii, qvae est de modis musicis, non expedita ab iis est, qvi complures nuper de his didascaliis disseruerunt; qvorum studiis sicut earum verba ad codicum scriptorum auctoritatem et ad artis criticae praecepta revocata atqve e rebus dubiis et obscuris permultae enucleatae sunt *), sic ad hanc rem explanandam illi vix qvidqvam contulerunt, qvia neqve generalem qvaestionem de tibiis scenicis solverunt, aut recte in ea re judicarunt, et in Terentio ne qvaesiverunt qvidem, qvomodo cantica modis tibiarum respondissent **).

Jam primum omnium dispicere conemur, qvid pro vero ducendum, qvid secus existimandum in iis sit, qvae viri docti de tibiarum cantu, qvo tibicines antiqvi fabularum scenicarum partes prosecuti sunt, statuerunt. Omnis hujus disceptationis fundamentum jecisse dici potest Salmasius ***), qvoad de tibiis geminis, ab una eademqve lingula aut a sua qvaqve incipientibus, qvas simul unus tibicen inflabat, recte vidit *impares tibias* tum vocatas esse, cum *dextra* et *sinistra* inter se differrent, acuta altera, altera gravis, *pares* autem, cum ejusdem essent generis, aut ambae dextrae, qvemadmodum Eunuchum Terentii *tibiis duabus dextris* actam esse didascalia hujus comoediae refert, aut utraqve sinistra. Haec inter omnes fere postea convenerunt, sed exstitit dissensio de hoc inprimis, unde multa pendent, utrum ea tibia, qvae dextra appellatur, an qvae sinistra, graviter aut contra acute sonuerit. Salmasius non dubitavit fidem adjungere illis, qvae sunt in fragmento, ut inscribitur, Donati de comoedia: *Agebantur autem* (fabulae) *tibiis paribus aut imparibus*

---

*) Librorum permagnam copiam contulit et in re critica praecipue versatus est Geppertus („*Ueber die Terentianischen Didascalien*“, in Archivi philolog. et paedagog. Lipsiensis tom. XVIII p. 550—582). *De didascaliis Terentianis* dissertationem haud levis ad qvaestiones longius provehendas momenti edidit Vilhelmus Wilmanns Berolini a. 1864, aliam permulto minoris habendam, qvae inscripta est *Didascaliae Terentianae explicatae*, Alfredus Kohl Halis Saxon. a. 1865. Commentatione, qvam scripsit Carolus Dziatzko („*Ueber die Terentianischen Didaskalien*“, in Museo philolog. Rhenano anni 1865, p. 570—598, et a. 1866, p. 64—92), maxime ceterae qvaestiones profecerunt, haec autem de tibiis non item.

**) Unus in hoc excipiendus est Wilmannsius, qvatenus, inter didascalias et Donatum de tibiis Eunuchi et Adelphorum ac Phormionis breviter disceptans, commemorat se naturam spectasse canticorum, de qvibus auctorem citat Wolffium.

***) In *Emendationibus et notis in historiae Augustae scriptores*, p. 494—496 editionis Parisiensis anni 1620. Iterum easdem res attigit in *Plinianis exercitationibus*, p. 119 sq. ed. Paris. a. 1629.

et dextris aut sinistris. Dextrae autem et Lydiae) sua gravitate seriam comoediae dictionem pronuntiabant. Sinistrae et Serranae acuminis levitate jocum in comoedia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta fabula inscribebatur, mistim joci et gravitates denuntiabantur.* Qvibuscum, ut apparebit, plane conspirant, qvae de sonis dextrae tibiae et laevae qvidam sibi persvaserat, qvi praefationibus Donati olim manum emendatricem imponere sibi visus est. Itaqve longe plurimi, auctoritate Donati commoti, Salmasium hac qvoqve in re et antehac secuti sunt et hodie seqvuntur **); nonnulli vero Boeckhio, viro illustri, assenserunt, qvi verba Donati in scripto de comoedia perturbato ordine depravata esse judicavit, rationibus compluribus demonstrare studens ***) dextras fuisse sono acuto *(„Discantflöten")*, sinistras contra gravi *(„Bassflöten")*. Rationes Boeckhii singillatim refellendas nuper suscepit Wilmannsius (l. c. p. 37 sqq.), et profecto eae, qvales sunt, non possunt non labefactari. At vero, etsi argumentatio Boeckhii magnam partem vel falsa vel parum firma est, tamen sententia ejus de duarum tibiarum diversitate nihilo minus est vera, neqve ullo modo contigit Wilmannsio contrariam opinionem auctoritate Donati suffultam stabilire.

Dijudicatio hujus qvaestionis non minimum nititur in explicatione loci Varronis de re rustica I. 2, unde Boeckhius argumentum suae sententiae petivit, sed commenticium qvoddam neqve id, qvod petendum fuit. Verba Varronis, qvo dilucidius fiat, qvid sibi velint, exscribamus haec omnia: *Certe, inqvit Fundanius, aliud pastio, et aliud agricultura, sed affinis, et ut dextera tibia alia qvam sinistra, ita ut tamen sit qvodam modo conjuncta, qvod est altera ejusdem carminis modorum incentiva, altera succentiva. Et qvidem licet adjicias, inqvam, pastorum vitam esse incentivam, agricolarum succentivam, auctore doctissimo homine Dicaearcho, qvi, Graeciae vita qvalis fuerit ab initio, nobis ostendit, ut superioribus temporibus fuisse doceat, cum ho-*

---

*) Verba *et Lydiae* non in omnibus MSS. esse dicuntur, et pro iis in editione Klotziana anni 1838 legitur *tibiae*, sed ea hoc loco tuetur illud in praefatione Donati ad Adelphos: *Modulata est tibiis dextris, id est Lydiis.*

**) Exempla sunt etiam ea opera recentissima, qvae propositum sibi habuerunt, ut, qvae doctis pervestigationibus explorata essent, in conspectum docte proferrent, et vulgo maxime consuluntur, qvalia sunt Encyclopaedia Paulyana, Antiqvitates Marqvardtianae cum disqvisitione Friedlaenderi de ludis, Guhlii et Koneri liber de vita Graecorum et Romanorum, Weissii de vestitu et supellectile aedificiisqve antiqvarum gentium, Richii Antiqvitatum Romanarum lexicon, alia ut praeteream.

***) Anno 1810 in Annalibus Heidelbergensibus humanitatis studiis dicatis et partis eorum 3:ae tomo priore, p. 165—170. De sententia sua non destitit, sed eandem profitetur in Opp. Pindari T. 1. P. 2. p. 259 (De metris Pindari lib. 3 cap. 11).

mines pastoriciam vitam agerent neqve scirent etiam arare terram aut serere arbores aut putare; ab his inferiore gradu aetatis susceptam agriculturam. Qvocirca et succinit pastorali, qvod est inferior, ut tibia sinistra a dextrae foraminibus. Extrema Salmasius sic corrigenda censet: *ut tibia sinistra a dextra foraminibus,* dicens *inferior a dextra* pro *inferior dextra* vel *qvam dextra* scripsisse Varronem antiqva consvetudine, cujus tamen nulla exempla ad aetatem Varronis, omnia ad infimam latinitatem pertinent *). Qvam probans correctionem, ait Boeckhius verbis Varronis evidenter indicari tibiam dextram plura habuisse foramina qvam sinistram; ex qvo confici, ut sonuerit acutius. Horum prius illud Wilmannsius male concedit; alterum vero sic effici cogiqve posse recte negat: nam rei natura refutari vere contendit hoc placitum Salmasii a Boeckhio repetitum et contra auctorem versum, „acutius tinnire tibias et clarius, qvae pluribus foraminibus apertae sint, qvam qvae paucioribus.“ At nihil de numero foraminum Varro; qvi si diceret foraminum aut, ut interpretatur Dziatzkius **), sonorum numero inferiorem aut, ut Grysarus ***), vi soni infirmiorem, qvam dextram, laevam fuisse, qvalis tum esset collatio vitae pastoralis et agrorum culturae vel cum tibiis vel inter se collatarum? Insulsissima sane et falsissima, qvia et prorsus nulla appareret similitudo, qvam haberent in hoc genere cum tibiis, et tamen agricultura in inferiore qvodam gradu dignitatis, qvam pastio, reposita induci videretur.

---

*) Cftr. de hoc usu Handius in Tursellino I. p. 44. Qvi erravit, qvod eodem retulit Plin. N. H. XVIII. 13. 34: *Qvamqvam prius de rapis dixisse conveniat, — in transcursu ea attigere nostri, paulo diligentius Graeci, et ipsi tamen inter hortensia, — si justus ordo fiat. a frumento protinus aut certe faba dicendis, qvando alii usus praestantior ab his non est.* Qvo loco *ab his* (Handius *ab iis)* idem valet, ac *post l. secundum haec* (frumentum et fabam), neqve potest idem esse ac *qvam his* (rapis). Sed pro *alii,* cujus loco in libris MSS. est etiam *alius,* legendum videtur *aliis.*

**) Ejus verba haec sunt p. 595: *Aus der Stelle Varros kann ich nicht mit Böckh folgern, dass die sinistra tibia tiefere Töne gehabt habe als die dextra, sondern nur, dass diese als obligates Instrument (incentiva), jene zur Füllung (succentiva) angewendet wurde, womit übereinstimmt, dass die t. sinistra „inferior a dextrae foraminibus“ war, also wohl weniger Töne umfasste.* Ergo agriculturam qvoqve censeamus apud Romanos appendicem qvandam pastionis et minoris momenti existimatam?

***) Ait p. 378: *Dass die dextera vermöge der tieferen Tonlage einen etwas stärkeren Klang hatte, so wie umgekehrt die sinistra einen schwächeren, ist ganz natürlich. Dadurch aber erklärt sich eine Notiz bei Varro, wo er von dem Zusammenspiele beider Flöten sagt: Succinit tibia sinistra, qvod est inferior, a dexterae foraminibus, d. h. das Spiel der sinistra ist für die stärker tönende dextera ein untergeordnetes Accompagnement.* Ordinem verborum Varronis temere mutavit et interpunctionem; non enim tibia ab alterius tibiae foraminibus, sed tantum a suis ipsius succinere potuit.

Atqvi usus est Varro imagine et apta et vera. In qva ut *inferior* utrobiqve in ultima sententia ad ordinem rerum, qvarum altera alteram excipiat, neqve de duobus rei rusticae generibus ad hoc qvidem, sed de tibiis mirum in modum ad aliud qviddam, ad copiam, vim, dignitatem, spectat, ita in verbis *a dextrae foraminibus,* in qvibus nihil mutandum est, — etsi fuerunt, qvi ea omnia, sibi non intellecta, tamqvam spuria exterminari voluerint, — *a* particula designat, post qvam rem vel cujus rei respectu posterius res alia veniat *). Dicit Varro rem pecuariam et agriculturam, qvamvis dissimiles, optime inter se concinere, et hunc earum concentum sic esse, ut tibiarum dextrae et sinistrae, qvarum sit in illa dissimilitudine egregia concordia: incentivam pastionem videri, qvippe qvae aetate fuerit superior, alteramqve succentivam, qvemadmodum in tibiis prior audiatur dextra eiqve laeva succinat, ut qvae sit *inferior a dextrae foraminibus,* h. e. suam vocem effundere incipiat post dextram, cujus foraminibus inferiora laevae posterius flatu tibicinis attingantur atqve operculis apertis penetrentur. Jam vero haec qvid sint, declarat locus Macrobii (comment. in somn. Scipionis II. 4), de tibiis sic loqventis: *De qvarum foraminibus vicinis ori inflantis sonus acutus emittitur, de longinqvis autem et terminò proximis gravior* **); cum qvibus verbis componenda sunt haec Censorini (de die natali c. 9): *Tibiae incremento longitudinis fiunt graviores.* Rem illustrat pictura antiqva ***), in qva tibicen ad aram geminas tibias inflat, de qvibus dextra brevior, sinistra perlonga est, hujus autem foramina obliqva, prominentibus operculis sive paxillis signata, a media fere parte tibiae deorsum collocata sunt, dum nulla apparent foramina dextrae, qva sola, etsi ambae ore tenentur, cum maxime cani videtur, praeclusis foraminibus sinistrae: qvo in exemplo ideo dextra et *incentivam,* utpote qvae etiamnum sola sonos edere videatur, et *acutam,* qvippe qvae multo, qvam sinistra, brevior sit, oculis se praebet. Ergo, his adjunctis te-

*) De hoc usu praepositionis (velut Cic. Acad. I. 12. 46: *Carneades qvartus ab Arcesila fuit,* et Plin. N. H. XVIII. 13. 34, de qvo loco paulo ante dictum est) vid. Handii Tursell. I. p. 43 sq. sub III. — Non absurde, immo recte faciat, si qvis Varronem in paenultima enuntiatione ita interpretetur: *ab his* (temporibus) *inferiore gradu aetatis.*

**) Auctorem citans Porphyrium ad Ptolemaei Harmonica I. p. 217, qvo commentario uti mihi non contigit, Fortlagius dicit in Encyclopaedia Paulyana VI. p. 608: *Das Oeffnen der oberen und Schliessen der unteren Löcher gab die hohen, das umgekehrte Verfahren die tiefen Töne.*

***) Vide tabulam 10 seriei 4 picturarum in opere, qvod inscribitur: „*Herculanum und Pompeji. Vollständige Sammlung der daselbst entdeckten Malereien, Mosaiken und Bronzen. Gestochen von H. Roux ainé. Mit erklärendem Text von L. Barré. Deutsch bearbeitet.*“ — De his tibiis deqve operculis foraminum tibiarum antiqvarum plura post dicentur.

stimoniis, satis perspicue Varro testatur vocem eam, qvam nos appellamus *diskant,* e tibiis imparibus dextram habuisse, qvam svecice *bas* vocamus, sinistram. Nunc praeterea hoc tantum monemus, leges musicae antiqvae, si in tibiarum cantu imparium generatim atqve omnino gravi sono incini, acuto succini jussissent, non minus mire a musicis rationibus temporum nostrorum discessuras fuisse, qvam si idem in concentu assae vocis praecepissent, qvamqvam rationem justae contrariam, si res ita ferret, inire operculis acutae tibiae clausis licuisse intelligitur. — Postqvam igitur nunc ad idem, qvo per Varronis verba viam Boeckhius monstraturus erat, sed alio itinere atqve meliore per eadem verba et alia qvaedam indicia perventum est, viro summo astipulamur in judicando de hoc Appuleji Madaurensis e Florid. I. 3. 11: *Primus Hyagnis in canendo manus discapedinavit; primus duas tibias uno spiritu animavit; primus laevis et dexteris foraminibus, acuto tinnitu et gravi bombo concentum musicum miscuit.* Qvo loco sonum gravem dextrae, tinnientem laevae tibiae attribui cum planum Salmasio et aliis visum esset, Boeckhius breviter admonuit, qvam freqventer scriptoribus veteribus in afferendis notionibus contrariis institutum ordinem verborum invertere placuerit: propterea nihil obstare, qvominus tinnitus ad dextram et bombus ad sinistram referantur. Sed qvo perspiciatur necesse esse apud Appulejum chiasmum agnosci, subjicimus testimonia ex artis monumentis prolata et scriptorum qvorundam aliorum. Appulejus verbis illis et pluribus de ipsa inventione tibiarum geminarum loqvitur, qvam rem omnes veteres Phrygibus ascribunt, Appulejus Hyagnidi Phrygi, Euripides (Iphig. Aulid. 576 sq.) Olympo, homini item Phrygio, Plinius (N. H. VII. 56. 57) Marsyae, filio Olympi aut, ut alii, Hyagnidis. Phrygias autem tibias geminas, et qvidem speciem qvandam earum antiqvissimam — id qvod ob paucitatem foraminum affirmandum est*), — Varro, a Servio ad Aen. IX. 618 testis productus, ita describit: *Tibia Phrygia dextra unum foramen habet: sinistra duo, qvorum unum acutum sonum habet, alterum gravem.* In imaginibus, qvas artium monumenta proponunt, binis tibiis Phrygiis cani videmus, e qvibus dextra recta, sinistra ad terminum curvata atqve cornus similis est**). Nunc qvaero: num dubium

*) Tibiis priscae vetustatis pauca fuisse foramina Horatius dicit Ep. ad Pison. v. 203; ad qvem locum Porphyrio annotavit: *Terna enim tantummodo foramina habuit antiqva tibia,* Acro autem haec: *Varro ait in III Disciplinarum et ad Marcellum de lingva latina: qvattuor foraminum fuisse tibias apud antiqvos; et se ipsum ait in templo Marsyae vidisse tibias qvattuor foraminum. Qvare qvaterna tantum foramina antiqvae tibiae habuerunt; alii dicunt non plus qvam tria.*

**) Vid. Ennii Q. Visconti *Musée Pie-Clémentin,* tom. 2, tab. *b.* IV; Bartholini li-

habendum est, qvin gravis bombus, qvem dicit Appulejus et acuto tinnitui opponit, e cornus Berecyntii, qvod a laeva parte est, foramine emissus sit? Haec illa fuit curva Phrygum tibia, qvae eadem cornu dicitur (Horat. C. I. 18. 14), qvam et multi saepe scriptores commemorant, et Catullus *grave* cecinisse (LXIII. 22) atqve *raucisonos bombos* efflasse (LXIV. 263) narrat, qvam etiam Athenaeus spectat (Deipnosoph. lib. IV. p. 185, — edit. Schweighaeus. T. 2. p. 197), ubi allato versu e tragoedia Ionis, in qvo de tibia gravi mentio fit, Phrygiam significari explicat, addens: *βαρὺς γὰρ οὗτος (αὐλός)· παρ' ὃ καὶ τὸ κέρας προσάπτουσιν, ἀναλογοῦν τῷ τῶν σαλπίγγων κώδωνι.* Sponte igitur seqvi videtur, ut dextra tibia acute sonuerit. Verumtamen a Varrone docemur in hoc qvidem genere vetusto Phrygio tibiarum imparium etiam uni foramini sinistrae, qvod ori canentis propius erat, sonum acutum fuisse; qvae ratio accommodata, opinor, fuit naturae moduli Phrygii, qvem de tribus modis musicis principalibus inter summam gravitatem Dorici et summum acumen Lydii modi medium locum tenuisse traditum est *). Fac vero praeter foramen cornus id qvoqve, qvod in dextra tibia erat, sonum habuisse gravem: qva ratione, si ita fuisset, mediocritas illa et temperatio gravitatis et acuminis Phrygia oritura fuerit, perspici prorsus neqvit. Sed hoc concludi potest, rem ab origine tibiarum geminarum ita institutam fuisse, ut acutus a primo sonus incineretur et huic acuto gravis responderet **), posteaqve munus et nomen incentivae e tibiis imparibus rectis acutae dextrae, succentivae autem gravi sinistrae mansisse, et cum deinde ad vim ejusdem modi musici augendam binis tibiis paribus uti homines coepissent, latine qvidem his ambabus ob naturam soni, qvem singulae in imparium societate edebant, vel dextra-

---

ber de tibiis veterum p. 194; Gerhardi *Archäologische Zeitung* anni 1850, tab. XX, imag. 1; Weissii *Kostümkunde*, II. p. 1317, fig. 529 *d*. Has et similes Phrygias tibias esse omnes consentiunt. Curva tibia sinistrorsus et recta dextrorsus manu tenentur etiam in Musei Pio-Clementini tom. 5 tab. VII, ubi tibiis non canitur. Foramina nulla obliqva in his exemplis cernuntur. Sed tria apparent supra cornu sinistrae in imagine, qvae est in Viscontii tom. 5 tab. C (ultima).

*) De his et ceteris modis musicis vid. praecipue Claudii Ptolemaei Harmonica, lib. 2 cap. 10. Tres illos principales commemorat praeter alios scriptores veteres Plutarchus de musica c. 8. — Boeckhius dicit p. 170: *Die dreyerley Flötengattungen, Sarranae, Phrygiae, Lydiae, entsprechen den drey ältesten Tonarten, der tiefsten dorischen, der mittlern phrygischen, der höchsten lydischen.* Tibias vero scenicas omnino in tres classes illis nominibus insigniendas describi posse non video.

**) Is est apud Appulejum usus chiasmi, ut, postqvam laevae tibiae mentionem ante dextrae posuit, non forte, ut videtur, et casu in ipsis sonis nominandis horum ordinem sic indicaverit: *acuto tinnitu et gravi bombo concentum musicum miscuit.*

rum, i. e. acutarum, vel sinistrarum, i. e. gravium, appellationem obtigisse*). Impares tibias omnes dictas et dicendas Phrygias esse nihil persvadet, qvamvis a Phrygiis totum hoc genus ortum sit; nam Phrygiarum nomen proprium earum fuisse videtur, qvarum altera curva fuit. Has Graeci etiam ἐλύμους αὐλοὺς (Athenaei lib. IV. p. 176 sq.), rectas vero impares aut certe earum qvandam speciem γαμηλίους (Pollucis Onomast. lib. IV. segm. 80) vocitabant. Sed exemplum Phrygiarum id qvoqve habendum est, qvod ad locum Varronis de re rust. I. 2. declarandum adhibuimus; etsi enim perlonga sinistra tibia ceteroqvin recta est, in ipso extremo termino corniculum sursum versus adjunctum habet, ut admoneamur de verbis Athenaei paulo supra prolatis: παρ' ὃ καὶ τὸ κέρας προσάπτουσιν. — Praeterire hic non licet illa Solini, ad qvae etiam paulo post lectorem relegabimus: *Thermitanis locis insula est harundinum ferax, qvae accommodatissimae sunt in omnem sonum tibiarum, seu praecentorias facias, qvarum locus est ad pulvinaria praecinendi, sive vascas, qvae foraminum numeris praecentorias antecedunt, seu puellatorias, qvibus a sono clariore vocamen datur, sive gingrinas, qvae, breviores licet, subtilioribus tamen modis insonant, aut milvinas, qvae in accentus exeunt acutissimos, aut Lydias, qvas et turarias dicunt, vel Corinthias vel Aegyptias aliasve a musicis per diversas officiorum et nominum species separatas* (c. 11): ubi qvae tibiae nominantur praecentoriae, eas fuisse easdem ac Varronis incentivas Salmasius propter nominum similitudinem opinatur, atqve eas tibias indicio Varronis dextras fuisse et, qvod minore, qvam vascae, qvas nihil aliud qvam sinistras habendas dicit, foraminum numero instructae essent (cfr. supra p. 7), graviter sonuisse affirmat. Ac recentissimo tempore in encyclopaedia Paulyana vir qvidam doctus *incentiva* et *praecentoria* ejusdem tibiae nomina esse contendit et huic tibiae verborum qvorundam causa, qvae Solini esse ait, sed sunt Salmasii, gravitatem soni ascripsit**). Probatum

---

*) Huic loco apponamus e Boeckhii argumentatione haec verba (p. 168), in qvibus ratio habetur discriminum omnium in tibiis apud Donatum commemoratorum (v. supra p. 6): *Das ganze Alterthum nennt alles Fröhliche, Heitere, Glückliche rechts, alles Düstere, Traurige, Unglückbedeutende links; sollte es in der Musik, die dem Gemüthe so nahe liegt, eine Ausnahme gemacht haben? Die dextra tibia muss die fröhliche, die sinistra die düstere, jene die hohe, diese die tiefe seyn.* Qvae fuerit origo appellationis *dextrarum tibiarum* et *sinistrarum t.*, supra hoc ipso loco indicatum est, qvo pertinet, qvod illud est apud Festum p. 74 Muell.: *Dextra auspicia prospera* et deinceps: *Dextrarum tibiarum genus est, qvae dextra tenentur* (videlicet, nisi utraqve tibiarum geminarum dextra est); sed nihilo secius aures Romanas offendere sane debuit, si *sinistrae* nominatae essent tibiae laeta, *dextrae* tristia nuntiantes.

**) Haec in Solini cap. 2 inesse [illegible] VI. 2. p. 1946, s. v. *Tibia:* „Praecentorias

esse incentivam et praecentoriam eandem fuisse tibiam Boeckhius paucis contra Salmasium negat; et vero aliam praecentoriam fuisse ex ipso nomine et ex usu ejus colligendum est: denominata enim ab eo esse traditur, qvod ad pulvinaria, i. e. non ad sacrificia, ut putat Bartholinus *), sed ad lectisternia praecinuerit, qvemadmodum *deorum pulvinaribus et epulis magistratuum fides praecinuisse* memorat Cicero (Tusc. IV. 2. 4): qvid ergo huic praecentoriae commune fuit cum ea tibia, qvae in imparium cantu ab incinendi officio nomen acceperat? Gravitas qvaedam soni praecentoriae non defuisse videtur, sed non eam ob causam, qvam finxit Salmasius, verum qvia Solinus, cum in aliqvot exemplis demonstrare vellet, qvomodo Thermitanae insulae calami omnibus sonis apti essent, tot postea attulit exempla tibiarum magis magisqve, ut ipsius verba declarant, acute sonantium **). Sed haec hactenus. — Nolumus verbosius loqvi de argumento e Plinii N. H. XVI. 36. 66, qvi locus cum Theophrasti Hist. plant. IV. 11, unde sua, nunc non integra, Plinius excerpsit, comparandus est, a Boeckhio assumpto, cui ipse multum tribuit. Id non tanti esse momenti Wilmannsius p. 37 sqq., Theophrasti interpretationem secum privatim ab ipso Boeckhio communicatam afferens, ostendit, sed ad rationem mutuam tibiarum dextrae et sinistrae dijudicandam etiam Theophrasti verba nihil valere tamen non recte arbitratur. Omnia ad rem pertinentia huc redeunt, ut dicat Theophrastus e lacus Orchomenii arundinibus lingulas dextrae et sinistrae tibiae ita deligi, ut ex eodem ejusdem arundinis internodio utraqve sumatur, sed e superiore parte in duas partes dissecti internodii lingulam dextrae et ex inferiore sinistrae ***). Jam qvoniam, ut ipse commemorat Wilmannsius, inferior pars internodii arundinum crassior, qvam

---

vocant dextras, quae propter gravitatem soni ad pulvinaria deorum et aras inflari solebant, quales et spondaicae tibiae, quibus σπονδεῖα et ἐπιβώμια μέλη canebantur.“ Verum hae opiniones et ipsa verba sunt Salmasii ad Hist. August. script. p. 495.

*) *De tibiis veterum et earum antiqvo usu* (Amstelodami 1679), p. 189: „Et has, quibus praeviis victimas obtulerunt, eas fuisse credo, quas Praecentorias tibias vocarunt, quemadmodum Thurarias, quibus usi sunt, cum thus in aram inderent nec immolarent hostias.“

**) De tibia vasca O. Jahnius disputat in „*Berichte über die Verhandlungen der Königl. Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig: Philolog. historische Classe*“, tom. 3 p. 169 sqq. Vasca cum apud Solinum foraminum numero praecentoriam antecessisse dicatur, praecentoria non solum dissimilis eo modo fuisse, sed aliqvam etiam similitudinem cum vasca habuisse et propterea obliqva s. πλαγίαυλος ideoqve monaulos fuisse nobis videtur.

***) Theophrastus dicit l. c.: *συμφωνεῖν δὲ τὰς γλώττας τὰς ἐκ τοῦ αὐτοῦ μεσογονατίου, τὰς δὲ ἄλλας οὐ συμφωνεῖν· καὶ τὴν μὲν πρὸς τῇ ῥίζῃ ἀριστερὰν εἶναι, τὴν δὲ πρὸς τοὺς βλαστοὺς δεξιάν. τμηθέντος δὲ δίχα τοῦ μεσογονατίου τὸ στόμα τῆς γλώττης ἑκατέρας γίγνεσθαι κατὰ τὴν τοῦ καλάμου τομήν.*

superior, est, et nostra aetate tibiae graves, velut qvae sunt in organo pneumatico, non modo longiores, sed etiam crassiores, qvam acutae, esse solent, sane videtur ea tibia, cui lingula ex inferiore segmento, id est crassior, fuit, tota crassior fuisse, id est gravior; qvae argumentationis via non fugit Wilmannsium, sed immerito ab eo despecta est*). — Ut est apud Censorinum l. c.: *tibiae incremento longitudinis fiunt graviores,* ita et ratio evincit et nostrorum temporum usus docet necesse esse, tibiae graves longiores acutis sint. Qvocirca ad omnem litem de sonis tibiae dextrae et sinistrae dirimendam nihil opus esse videatur aliud, qvam ut monumentorum imaginibus alterutra opinio sine ulla repugnantia confirmetur. Et qvia ad sonum *impares tibiae* ad visum etiam *numero foraminum discretae* (Fest. p. 109 Muell.) fuerunt **), atqve *de foraminibus vicinis ori inflantis sonus acutus emittitur, de longinqvis autem et termino proximis gravior* (Macrob. l. c.), exspectandum erat, ut ab hac qvoqve parte res monumentis plane illustraretur. At horum conqveramur inconstantiam. Interpretationi nostrae loci Varroniani, qvi est in primo libro de re rustica, confirmationem adjecimus e pictura Herculanensi. Ecce autem etiam Wilmannsius ad testimonium veritatis suae de tibiis sententiae imagines monumenti cujusdam cum Macrobii iisdem verbis vocavit. Nam inter figuras, qvae in pariete antri sepulcralis Cyrenaici pictae inventae sunt, duae tibicinae binis tibiis canunt, e qvibus tibiis utraqve dextra re vera propius ad terminum, qvam laeva, minus prope, qvam haec, ad lingulam accedentia opercula foraminum habet ***). Hoc ille magno documento esse putat, sed jure valde dubitare licet, numqvid ad rem pertineat. Primum enim in utraqve figura ambae tibiae longissimae sunt, ut gravem sonum a nulla tali abjudicaveris, et altero loco non discernitur, utra tibia fortasse longior sit, qvia ipsi termini non dispiciuntur, altero autem dextra sinistram tam perpaulo superat, ut dissimiliter promotae, sed ad longitudinem aeqvales haberi recte possint. (Neqve de longitudine earum qvidqvam vir doctus). Deinde utraeqve tibiae, etsi foramina obliqva magnis paxillis longo ordine occlusa sunt, inflantur, et ob eam causam aut huc referendum est illud

*) Hoc, qvod contra opposuit, nihili esse censuerim: „Sed quamquam inferior internodii pars paullo crassior est quam superior, foramen partis inferioris, siquidem ex nostra arundine de lacus Orchomenii arundine conicere licet, paullo angustius est, ita ut ratiocinatio modo prolata plane evertatur." — De tibiarum foraminibus, per qvae soni exibant, Macrobius l. c. adjecit: *item acutior* (sonus emittitur) *per patentiora foramina, gravior per angusta.*

**) Nimirum, opinor, plura in longiore tibia foramina erant, qvam in breviore.

***) Vide Wieseleri *Theatergebäude und Denkmäler des Bühnenwesens bei den Griechen und Römern*, tab. XIII, imag. 2.

καταπεπλασμένον, de qvo Qvintilianus I. 11. 7: *sic appellatur sonus tibiarum, qvae praeclusis, qvibus clarescunt, foraminibus recto modo exitu graviorem spiritum reddunt,* aut credere necesse est aliqvot foramina aperta eoqve — ut ob id ipsum fit in imaginibus tibiarum, qvarum foraminum loci plerumqve non apparent, nisi illa clausa sunt — non aspectabilia esse *); hoc autem si verius est, nihil conjici potest e locis foraminum apparentibus. Sed qvamqvam hoc exemplum a Wilmannsio allatum vix qvidqvam valet, neqve opinio, qvam amplexi sumus de tibiis dextra et sinistra, monumentis refellitur, horum imaginibus tamen non ubiqve adjuvatur. Ubi enim tibiae geminae inaeqvalis sunt longitudinis **), modo sinistra ***), modo rursus, sed tamen, qvod sciam, multo rarius, dextra ****) longior est qvam altera. Foraminum autem obliqvorum signa raro accurate observari possunt. Talis igitur varietas est, qvae universa vel a regionum et temporum et multorum ipsarum tibiarum generum diversitate vel a qvadam in hisce imaginibus deformandis incuria veterum †) repetenda videtur, ut, qvemadmodum difficultates omnes in singulis

*) Hac in re observetur astare ad eas tibias, qvarum extremae partes conspiciuntur, hominem has longas tibias, qvae alte a tibicina sublatae sunt, digitis suis sustentantem et fortasse paxillos foraminibus insertos extrahentem. Nam in tibiis antiqvis opercula foraminum non sunt similia iis, qvae nostrorum temporum tibiae habent, sed longe exstantia videntur in foramen immissa ac rursus plane de tibia detracta esse.

**) Parium tibiarum cum plurima exempla inveniuntur, tum notabiles sunt imagines, in qvibus etiam utrimqve foramina inter se aeqvaliter respondent, apud Viscontium, Mus. Pio-Clement. tom. IV tab. XV, et apud Montefalconium in *L'Antiquité expliquée,* tom. II tab. LXXXI. In illis tibiis, qvae non inflantur, foramina operculis tecta sunt, in his, qvibus cum maxime canitur ad aram, in qvam ante immolationem merum defundit imperator Trajanus, et qvae totae sunt *apertae* (v. Qvintilian. XI. 3. 50), ideo tantum ipsa foramina cernuntur, sed nusqvam opercula; qvod monuimus propter annotationem nostram superiorem.

***) Vide ex. c. Viscontii Mus. Pio-Clement. tom. IV tab. XXV; Gerhardi commentarios, ad qvos supra ablegatum est, anni 1845, tabulam XXXVI, imag. 3; Wieseleri libri cit. tab. XIII imag. 6 (in corpore tabularum Hercul. et Pompej. supra citato imag. 13 ser. 2 pictur.); Weissii lib. c., II. p. 1317, fig. 529 *b.*

****) Vid. ex. c. inter tabb. Hercul. et Pompej., ad qvas relegavimus, tab. 31 ser. 6 picturarum et imaginem, qvam proponit Richii lexicon s. v. *Tibiae impares,* qvae e genere Phrygio est et conspicitur etiam apud Bartholinum p. 60. Euterpe geminas tibias, longiorem dextra manu, aliqvanto breviorem sinistra tenet, sed neutram inflat, in Mus. Pio-Clem. tom. I tab. *B.* 2, qvod annotavit Wilmannsius (p. 40); in qva figura sunt tibiae, qvae a dextra parte est, foramina operculis longe eminentibus signata duo, alteri sex.

†) Dicit Fortlagius in encyclopaedia Paulyana s. v. *Rhythmica* (VI. 1. p. 605): *Unter den auf uns gekommenen Abbildungen von antiken Instrumenten verdienen nur die den sorgfältigsten Stempel der Wirklichkeit an sich tragenden ägyptischen eine genauere Beachtung,*

exemplis removeantur, frustra circumspicias. — Magnum vero et firmum argumentum sententiae suae hoc proponit Boeckhius, qvod, cum e modis musicis antiqvitus numeratis tribus, ut supra relatum est, acutissimus fuerit Lydius, Lydiae tibiae, qvae apud Donatum et dextrae dicuntur et graves, graves esse non potuerint. Qvo nihil est evidentius. Itaqve tibiae dextrae, modo eaedem aut ejusdem generis essent ac Lydiae, — neqve in hoc ponendus videtur error, qvi qvomodo inter Donati verba irrepserit, declarare posterius studebimus, — acutae necesse est fuerint. Salmasius, dextras a Donato Lydias appellari miratus, illuc confugit, ut Lydias tibias non a modo Lydio, sed pro Tyrrhenis sive Tuscis, qvod Etrusci gens Lydia putati essent, vocatas esse contenderit (Plinian. exercit. p. 120). Qva originatione, qvae auxilium qvasi ultimum frustra qvaerere videtur *), non magis qvisqvam acqviescere debet, qvam opus esse potest accurate, qvod Wilmannsius postulat (p. 43), demonstrare tibias dextras vel Lydias a modo Lydio nomen habere. Vidisse enim satis est non tam perverse loqvi antiqvos homines potuisse, ut acutas tibias Lydii moduli sonis instructas, sed graviter sonantes Lydias dixerint. Ipsam vero Lydiam tibiam Lydio sono, id est summo vocis acumine, insignem fuisse nihil planius facere mihi videtur, qvam qvod, ut Athenaeum IV. p. 185 memorantem video, Ion in versu qvodam, qvem affert Athenaeus, hanc tibiam *ἀλέκτορα* nominat. Neqve qvidqvam proficitur argumentatione Wilmannsii, qva versus Horatii: *Virtute functos, more patrum, duces Lydis remixto carmine tibiis Trojamqve et Anchisen et almae Progeniem Veneris canemus* (C. IV. 15. 29 sqq.) aperte ostendere ait „non tam tenues atque molles tibiarum Lydiarum fuisse cantus“: qvasi vero ea vox, qvae *diskant* nominata est, necessario tam mollis sit, ut heroum laudibus indigna videatur **). Interpretibus Horatii plerisqve eo satisfactum est, qvod commemora-

---

indem die der griechischen Bildwerke meistens eine solche Unvollkommenheit zeigen, dass man sie nur für traditionelle Typen mythischer und vorgeschichtlicher Tonwerkzeuge halten kann.

*) Num enim credibile est, ne qvid moneamus aliud, etiam Graecos *τοὺς αὐλοὺς Λυδίους* (cfr. ex. c. Pindar. O. 5. 45) ab Etruscis accepisse et ex horum originibus nominasse, aut tibias Lydias Romanis alias, alias Graecis fuisse?

**) Herodotus I. 17 inter instrumenta musica, qvibus Alyattes, rex Lydorum, in exercitu usus sit, *αὐλὸν γυναικήϊόν τε καὶ ἀνδρήϊον* fuisse narrat, hisqve tibiarum nominibus dextram et sinistram designari intellectum est, de qva re cftr. Boettigerus in Wielandii *Attisches Museum* I. 2. p. 334 sq. et editores Herodoti (qvamqvam falso, ut fieri solet, dextrae tibiae gravem et sinistrae acutam vocem adjudicant); apparet autem in Graecis illis appellationibus naturalem differentiam femineae et virilis vocis spectatam, nec vero idcirco dextrae tibiae effeminatam et enervem mollitiam ascriptam esse.

tur etiam in hac annotatione Acronis: *Lydis tibiis laeta cantabantur, Phrygiis tristia,* et sane ob eam causam, qvam haec verba continent, in laetissimo, qvem poeta describit, rerum statu et *inter jocosi munera Liberi* tibiis Lydiis locum opportunum fuisse fatendum est *). Atqve insuper qviddam accedit, qvod ab his Horatii versibus omnem offensionem avertat **). Inter tibias, qvarum genera qvaedam Solinus enumerat l. c., invenimus etiam: „*Lydias, qvas et turarias dicunt*", et earum fit mentio continuo post complura nomina item haud dubie acutarum. Hae tibiae qvod etiam *turariae* vocitatae sunt, id explicationem desiderat. De turariis tum adhibitis, cum tus in honorem deorum accensum est, ipsam appellationem testari liqvet. Id vero ad qvaestionem non sufficit. In sacrificiis, cum victima aut hostia immolanda esset, ante immolationem tura in ignem arae injiciebantur et merum superfundebatur. Hinc autem turarias vocatas esse non est verisimile; nam qvae tibiae in his sacrificiis auditae sunt, eae non tantum ad turis et vini injectionem, sed ad totum sacrificium pertinuerunt; eaedemqve perlongae erant, qvales eas videmus in imaginibus ***), i. e. clarissime et gravissime sonabant, dum, ne qvid mali ominis in sacrificatione exaudiretur, cavebatur, qvare in columnae Trajanae prostypis, ubi ante victimas immolatas vinum arae infundit imperator, astante cum acerra turaria camillo, etiam tubae et cornua militaria simul inflantur ****). Sed moris fuisse notum est etiam *ture et mero*

---

*) In conviviis Lydium modulum adhiberi solitum memorat Plato de Republ. III. 10, et convivalem proponit tibiam Lydiam Luciani Dialog. Mer. XV p. 322, qvod non praeterierunt editores Horatii. — Ceterum apud Platonem l. c. harmonia Lydia non solum ξυμποτικὴ vocatur, sed etiam μαλακὴ et χαλαρὰ, eademqve a Plutarcho (de Musica c. 15) ὀξεῖα καὶ ἐπιτήδειος πρὸς θρῆνον, sicut Appulejus (Florid. IV. 17) *Lydium qverulum* dicit, eoqve modulo primum usum esse Olympum ad canendum ἐπικήδειον Plutarchus ait, addens tamen in nuptiis primum usurpatum secundum alios. Hunc modum reprehendens, a bellicosis viris alienum esse vult Plato, sed contra Aristoteles (Polit. VII. 8. 7) omnium maxime convenire putat institutioni puerili διὰ τὸ δύνασθαι κόσμον τ' ἔχειν καὶ παιδείαν. Itaqve et varie judicatur hic modus musicus, et fuisse apparet in ipso magnam varietatem. Sed nihil variant judicia de acuto sono ejus et (si Donatum omittimus) tibiae Lydiae.

**) Orellius offendit in *Lydis tibiis*. „Carmina tamen illa", inqvit, „in laudem veterum ducum Romanorum Lydia harmonia canenda vix serio dixit, ut multis videtur, sed *Lydis* merum est ἐπίθετον poëticum."

***) V. librum Bartholini de tibiis veterum p. 190, 192, 196 et Richii lexicon s. v. *Tibia longa*. — Etiam Phrygiis tibiis in sacrificiis hisce utebantur, cujus rei exemplum praeter alia exstat in ea imagine Herculanensi, qvam ad locum Varronianum de re rust. I. 2 commemoravimus, in qva, dum hostia ad aram versus ducitur, vinum in ignem de patera funditur.

****) V. Montefalconii *L'Antiquité expliquée*, tom. 2, tab. LXXX et LXXXI (in qva

supplicare sine hostiis: qvo in sacrificio projecta sunt in ignem accensum tura, *pingves facientia flammas* (Ovid. Trist. V. 5. 11), et a stridentibus et alte emicantibus, cum vinum infunderetur, flammis bonum omen petitum est (Ovid. sq. vers. et Heroid. XIII. 114 sq., Virg. Geo. IV. 379—386). Neqve hoc sine tibicine fiebat in aedibus sacris aut ad exstructa altaria ac ne in domibus qvidem et conviviis privatis *), verum eodem tempore tibia turaria laete sonuisse videtur, ob eam causam, qvod laetos sonos fuderit, ad feliciter auspicandum usurpata **). In vulgaribus qvidem coenis privatis, cum, mensa secunda apposita, libatio vini fieret, tus qvoqve adhibitum commemorari non video: sed in tali coena, qvalem cogitavit Horatius, cum senatusconsulto jussum esset, ut Augusto principi etiam in privatis conviviis aeqve ac diis libaretur (Dio Cass. LI. 19), qvomodo vult poeta, ut Itali per singulas domos ad canendas Juliae gentis laudes accedant *rite deos prius apprecati,* nisi cum prece ture et vino in foco laribus ***) et diis praesidibus datis? Qvod utcumqve est, nunc tamen multo clarius intelligitur poetam carminum convivalium postea more vetusto canendorum comites tibias Lydias, non modo laetas illas et convivales, sed etiam, qvando usus erat, sacras et turarias, retineri justo jure atqve fortasse — qvoniam ad tibicinem olim hujuscemodi carmina cantata erant (v. ex. c. Cic. Tusc. I. 2 et IV. 2) — instituto antiqvo velle.

Attulimus jam ea, unde super ratione et differentia trium generum tibiarum, imparium dico et dextrarum sinistrarumqve, judicium repeti possit, exceptis iis, qvae ad omnes Terentii comoedias et ad unam Plauti, qvae est Stichus, de harum fabularum tibiis prodita et cum ipsis fabulis comparanda sunt: qvam rem Boeckhius etiam attigit, verum ita, ut nulla cantica consideraverit, sed modo ingenium universum comoediarum Terentii, idqve verbis perpaucis. Nos ad veritatem adducta putari, qvae adhuc a nobis disputata sunt,

---

fortasse non tubae sunt, sed longissimae tibiae). — V. etiam tab. LXIX (ubi dextra tibia non ita longa, sinistrae inferior pars pone tergum camilli abscondita est) et LXXI. 1.

*) Hoc testatur Plutarchus Symposiac. VII. 8. 4, ubi, acroamata coenarum dijudicans, dicit: *τὸν δ' αὐλὸν οὐδὲ βουλομένοις ἀπώσασθαι τῆς τραπέζης ἐστίν· αἱ γὰρ σπονδαὶ ποθοῦσιν αὐτὸν ἅμα τῷ στεφάνῳ.*

**) Etiam Bartholinus turariis tibiis Romanos usos esse credit, „cum thus in aram inderent nec immolarent hostias.“ Cfr. supra p. 12, annot. 2.

***) Horat. C. IV. 5. 29—36: *Condit qvisqve diem collibus in suis Et vitem viduas ducit ad arbores; Hinc ad vina redit laetus et alteris Te mensis adhibet deum. Te multa prece, te proseqvitur mero Defuso pateris et laribus tuum Miscet numen, uti Graecia Castoris Et magni memor Herculis.*

non postulamus, nisi accedet, ut haec in singulis comoediis comprobentur, et ut origo errorum, qvi apud Donatum exstant, probabiliter explicetur. Dum autem e loco hujus, qvem protulimus p. 5 sq., cum Boeckhio non solum id pro vero accipimus, ut discrimen acuminis et gravitatis inter dextram tibiam et sinistram fuerit, etsi apud Donatum contraria ratione commemorandum, sed hoc etiam, ut in fabulis scenicis gravitas soni seriis, gravibus, tristibus rebus, acumen contra jocosis et laetis verbis, genusqve tibiarum imparium mixtis cum tristitia jocis consentanea visa sint antiqvis, haec sic interpretanda existimamus, ut tamen vix ullae tibiae scenicae tantum severos et tristes aut tantum laetos sonos ediderint, sed ut major sinistrarum gravitas argumentis seriis et severis, majus dextrarum acumen laetitiae animi et levitati omnino congruerint, et ut acutae tibiae, ubi de scenicis agitur, dicendae sint eae, in qvibus acumen soni, graves, in qvibus gravitas plurimum valuerit, a neutris plane exclusis sonis generis contrarii *). Etenim qvaeritur hic de iis tibiis, qvae in usu erant post musicam antiqvam ab incunabulis ad perfectionem progressam et multo postqvam Pronomus Thebanus tres illos modos, Lydium, Phrygium, Dorium, una eademqve tibia conciliare primus scivit **). Plura his de rebus posterius. Nunc hoc qvoqve jam ante notatum volumus, tibias *Sarranas* ***), qvas Donatus cum sinistris nominat, ut tamen non diserte declaret, similesne et ejusdem generis universi, an eaedem fuerint ****), graves et ipsas, sed tamen alias nobis videri. Qvare pariter qvaeri potest, qvalis inter nomina *dextra* et *Lydia* intercesserit ratio: utroqve autem nomine tibiam acutam significari idqve de hoc posteriore, Boeckhio duce, jam demon-

*) Boeckhius in editione Pindari l. c. dicit: „Acumine autem Phrygia (harmonia) Doriam, Lydia Phrygiam superabat, ut alio loco adversus Salmasium demonstratum est — — —. Rursus alio respectu uniuscujusque modi tibiae et fides variam poterant *tensionem* habere, quod aliae acutum, aliae medium, aliae grave *diapason* continerent: quemadmodum ex iis patet, quae de diversitate melopoeiae disputavimus. Latini autem eas tibias, quarum diapason est gravius, vocarunt *sinistras*, quarum acutius, *dextras*, ut alibi evicimus. (In Ann. Heidelberg. l. c. Quamquam ibi haec non iisdem verbis dicta sunt, ita tamen intelligi nunc velim)."

**) Cftr. Pausanias IX. 12. 5.

***) *Sarranae* (non *Serranae*) recte hoc vocabulum scribi, ductum a Tyri urbis antiqviore nomine Latino *Sarra*, jam inter doctos constat.

****) Servius ad Aeneid. IX. 618 haec annotavit: *Tibiae aut Serranae sunt, qvae sunt pares et aeqvales habent cavernas, aut Phrygiae, qvae et impares sunt et inaeqvales habent cavernas.* Qvae superioribus tibiarum definitionibus addenda sunt, sed qvod duo genera principalia, Sarranas et Phrygias, constituunt, non sine causa fortasse a duobus fontibus rem totam repetunt, verum, ut haec res se ostendit, non recte definiunt.

stratum putamus. — Unum solum hoc loco adjungimus. Qvid *pares dextrae* intelligendae videantur, qvid *pares sinistrae,* superiora satis docent (de ipsis enim sonis nunc non loqvimur); illae vero bis *duae dextrae* appellantur in didascaliis Terentianis, nec umqvam in his titulis legitur *pares dextrae* (aut *p. sinistrae),* sed tantummodo Donatus de tibiis Andriae, cui fabulae didascalia ipsa non restat, verum inde petita narratio sola Donati, dicit modos hujus comoediae factos esse *tibiis paribus dextris et sinistris.* Hoc observato, et qvod scriptum est in titulo Hecyrae „*tibiis paribus*", neqve aliter ibi apud Donatum, Dziatzkius (p. 595 sq.) contendit hunc grammaticum perperam addidisse de tibiis Andriae illud „*dextris et sinistris*": nam *tibias pares* proprium genus videri; de qvo qviddam ipse excogitavit, qvod, cum nullo argumento nitatur, ne locum qvidem dat refutationi *). At etiam apud Diomedem haec sunt: *Cujus rei indicia produnt nobis antiqvae comoediae, in qvibus invenimus: „acta tibiis paribus" aut „imparibus" aut „Sarranis"* (p. 492 Keil.) — et paulo post: *„paribus tibiis" vel „imparibus" invenimus scriptum:* ubi apparet Diomedem, judicem ceteroqvin harum rerum imperitum, didascalias librorum veterum inspexisse. Qvae cum ita sint, eatenus Dziatzkio assentior, ut credam adjectum a Donato esse „*dextris et sinistris*" et saepe in titulis repertum „*tibiis paribus*" nec qvid amplius de earundem fabularum tibiis, ut nihil aliud reperitur in titulo Hecyrae, unde verba excidisse non recte vulgo arbitrantur; sed simul haec opinor: exemplum hoc esse insignis illius in didascaliis breviloqventiae, qvae ne in hac qvidem re obscuritatem attulerit, cum in iis moris fuisse videatur, ut scriberetur „*duabus* (non *paribus) dextris (sinistris)*"; itaqve scribi solitum esse in didascaliis „*tibiis paribus*" et qvidem perbreviter pro hoc: „*tibiis paribus dextris et (paribus) sinistris*"; Donatum igitur veram et nostrae aetati necessariam explicationem addidisse; hanc eum posuisse de tibiis Andriae, qvia in ordine comoediarum Terentii ea fabula primum locum tenet, reticuisse autem, ut jam ante pro-

---

*) Verba ejus illa sunt: *Welches das Verhältniss dieser vier verschiedenen Modulationsweisen gewesen sei, wage ich nicht mit irgend welcher Bestimmtheit anzugeben, doch liesse sich dasselbe folgendermassen denken: die t. pares sowie die t. impares bestanden aus je einer dextra und sinistra, von welchen jene die Hauptflöte, diese die begleitende* [cfr. supra p. 7 annot. 2] *war. Auf der Verschiedenheit der Art und Weise, wie das begleitende Instrument die Melodie der Hauptflöte unterstützte, beruhte alsdann der Unterschied zwischen den t. pares und impares. Ferner ist klar, dass die Hauptflöte (t. dextra) auch ohne accompagnirendes Instrument die musikalischen Partieen eines Lustspiels begleiten konnte; dann wurde sie aber zur Verstärkung verdoppelt, und die Modulation geschah tibiis duabus dextris.* Ceterum persvadere sibi non potuit *duas sinistras* in usu fuisse et, qvales Sarranae fuerint, in medio relinqvit.

positam, postea de Hecyrae. Sed hae opiniones confirmatione egent, qvae iis non deerit.

Qvid fuerit in fabulis Romanorum scenicis canticum, jam diu hactenus inter omnes constat, ut partem esse ipsius fabulae neqve — qvem errorem Boettigeri Hermannus sic refutavit l. c., ut resurgere numqvam possit — inter actus adhibitum cum saltatione qvadam mimica, sed sine verbis cantum tibiarum fuisse nunc nemo non consentiat. Et ceteroqvin haec cantica qvalia putanda sint, testimoniis Livii VII. 2. et Diomedis III. de arte gramm. p. 490 sqq. Keil., cui auctor fuit Svetonius in libro de poetis *), atqve Donati et aliorum usi, idem Hermannus et post eum Wolffius et Grysarus ll. cc. aliiqve enarrant; qvarum explicationum summa haec est: cantica esse soliloqvia, nec vero omnia soliloqvia cantica esse, sed tantummodo qvaedam, eaqve olim ad tibicinis modos cantata; apud Romanos autem usqve ab aetate Livii Andronici non ipsum actorem verba canticorum cecinisse, sed in iis motu et gestu pantomimico exprimendis totum versatum esse, canente verba, qvi in scena ante tibicinem stetisse narratur, cantore. Itaqve haec soliloqvia talia existimanda sunt, in qvibus vis animi commoti, sive lugentis aut timentis, sive e contrario laetantis aut, qvod saepe fit, astuta secum consilia habentis, rerumqve describendarum status seu tristis seu laetus atqve ridendus gesticulatione vividissima imitanda fuerint: in alio enim et tranqvilliore carmine neqve illud excogitari **), ut verba ab actione sejuncta alii atqve actoris personae traderentur, neqve id postea in usu manere ***) potuit; qvod institutum Romanis magnopere placuisse et ex eo tandem ludos pantomimos, in qvibus chorus mutae histrionis saltationi argumentum fabulae praecinebat ****), exstitisse agnitum est. Accedit animi et orationis vel tristi vehe-

---

*) Cftr. *Svetonii praeter Caesarum libros reliqviae; edidit A. Reifferscheid:* p. 370 sqq.

**) T. Livius de hoc Andronici invento l. c.: *Livius post aliqvot annis, qvi ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, idem scilicet, id qvod omnes tum erant, suorum carminum actor, dicitur, cum saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem cum statuisset, canticum egisse aliqvanto magis vigente motu, qvia nihil vocis usus impediebat: inde ad manum cantari histrionibus coeptum, diverbiaqve tantum ipsorum voci relicta.* — Valerius Maximus de eadem re II. 4. 4: *Isqve* (Livius Andronicus) — — — *adhibito pueri et tibicinis concentu gesticulationem tacitus peregit.*

***) Cftr. Hermannus p. 301 sqq., qvi etiam monet, qvanta constantia veteres, de canticis mentione injecta, *agendi* aut *saltandi* verbo de histrionibus, non *canendi* vel *cantandi* utantur; Wolffius p. 17 sq.; Friedlaenderus in Antiqvit. Marqvardt. p. 540 sq.

****) Jam antea res eo in canticis venerat, ut, qvod canticum unus histrio agebat, id aliqvando, qvo major esset vis cantus in magno theatro, *caterva* cantorum caneret; cfr. verba Ciceronis pro Sest. c. 55 et de Or. III. 50 extr., et qvae dicit Friedlaenderus l. c.

mentiae vel permagnae alacritati alia huic rei conjuncta et insignis canticorum investigandorum nota metrum varium aut, etiamsi simplex, ne tum qvidem non concitatum; qvapropter meris senariis lenibus et sedatis ullum canticum compositum esse eqvidem cum Grysaro (p. 370) contra Wolffium (p. 29) nego.

Etsi vero nemo infitias iverit canticum, si veteres ipsos audiamus, unius secum loqventis carmen esse, tamen etiam post Hermanni et Wolffii de hac re disputationes fuerunt Plauti editores, qvi fabularum hujus poetae haud pauca colloqvia cantica appellare non dubitaverint, velut Weiseus et Lindemannus; et qvod Gvilelmus Studemund contendit hac thesi proposita: „Palliatarum romanarum cantica ab una tantum persona acta esse falso creditur“ *), idem sentire video virum qvendam doctum in commentariis Lipsiensibus, qvi inscribuntur *„Litterarisches Centralblatt“*, anni 1866, p. 65, qvi hanc definitionem Svetonii apud Diomedem l. c.: *In canticis una tantum debet esse persona* — in Plauti qvidem fabulas accommodari posse infitiatur. At jure qvaerimus: errasse in tali re num est credibile Svetonium? Ac si qvis forte hujus verba non integra servata apud Diomedem esse opinetur, nonne eam suspicionem diluunt, qvae de modo cantica agendi antiqvitus tradita sunt? Id enim canticorum in comoediis tragoediisqve Romanorum proprium erat, non modo ut canerentur, sed etiam ut verba et actio separata et in duas personas divisa essent. Nusqvam autem proditum exstat duos pluresve simul in colloqvio actores a voce cantoribus mandata abstinuisse, in gesticulando tantum occupatos; ne de ludis qvidem pantomimis; in his enim histrio unus, personam et vestem commutans, omnia agebat **), qvod gravi documento est de canticis, unde pantomimi, qvi e multis argumento inter se connexis canticis constabant, originem duxerant. Neqve in comoediis diverbia ulla cantata sunt, si qvid valet comparatio horum locorum Diomedis: p. 491 K.: *Latinae igitur comoediae chorum non habent, sed duobus membris tantum constant, diverbio et cantico* — et p. 490: *Latine fabulae appellantur sive fatibulae; in Latinis enim fabulis plura sunt (diverbia, qvae fan-*

---

*) *De canticis Plautinis* (Berolini 1864), ultim. pag. — Similiter de versibus Plauti constituendis non in canticis solum, sed etiam in diverbiis disseruit Mauritius Crain sub hoc titulo: *Ueber die Composition der Plautinischen Cantica* (Berolini 1865), qvi tamen de vera notione cantici saltem dubitat (p. 31 et 37).

**) Cftr. Friedlaenderus l. c. p. 549 sqq. et in ejusdem *„Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms in der Zeit von August bis zum Ausgang der Antonine“*, II. p. 314 sqq. edit. 2.

tur, qvam) cantica, qvae canuntur *). Atqve satis dilucide Donatus in libello de comoedia: *Diverbia histriones pronuntiabant* (non igitur cantabant). *Cantica vero temperabantur modis, non a poeta, sed a perito artis musicae factis* (canebantur igitur, qvamqvam non ab ipsis histrionibus, cantica tantummodo agentibus). Hinc etiam canticum graece dicitur *μονῳδία*, ut ap. Donatum ad Hecyrae v. 816. Ergo acqviescendum est sine dubitatione in hoc, qvae appellabantur cantica, ea non a colloqventibus inter se pluribus, sed ab uno secum semonem intimum habente acta esse. Idqve qvivis canticorum in colloqviis Plautinis defensor concedere debebit, si ostendere nobis contigerit melicas illas, ut videntur, in Plauto scenas ad ullam opinionem de diverbiis vere cantatis non eas qvidem, sed ad aliud qvoddam explicationis genus viam monstrare.

Nunc qvaeramus, qvas ad partes comoediae cantus tibiarum pertinuerit, qvi non sane canticorum tantum finibus continebatur. Donatus monet de fabulis Latinis generatim in argumento Andriae (ed. Klotz. tom. I p. 5): *Est igitur attente animadvertendum, ubi et qvando scaena vacua sit ab omnibus personis, ut in ea chorus* **) *vel tibicen audiri possit: qvod qvom viderimus, ibi actum esse finitum debemus agnoscere.* Et in Plauti Pseudulo servus, cui idem nomen est, in ultimo versu primi actus dicit abiens, ad spectatores conversus: *Tibicen vos interea hic delectaverit.* Qvi duo loci satis probant tibicinem inter actus comoediarum tibiis cecinisse. Qvamqvam non id nisi „interdum" factum esse Hermannus ex iisdem locis colligit et post eum alii statuunt ***). Atqve etsi Hermanni argumentatio in ea re levis est ****), et

---

*) Verba intra parenthesis signum inclusa Reifferscheidius, l. c. p. 10, cum magna veri similitudine addidit.

**) Chorus, qvi in tragicis Romanorum fabulis palliatis e Graecis exemplis retinebatur, id qvod Grysarus in commentatione, qvam saepenumero commemoramus, demonstrat, in hisce fabulis Latinis inter binos actus ad tibias choraulae cantare solebat; cftr. Grysarus p. 398—400 et Friedlaenderus in Antiqvitatibus Marqvardtianis p. 542.

***) Etiam Friedlaenderus l. c. p. 539: „*In Komödien wurde der Zwischenakt bisweilen mit Musik ausgefüllt*".

****) Donatum sic interpretans: „Hoc videtur dicere, ubi in Latinis fabulis scena vacua sit, ut, si istae Graecae essent fabulae, chorus vel tibicen audiri possit, ibi actum finitum debere intelligi": — plurimum tribuit his Vitruvii verbis in praefatione libri V de architectura: *Graeci qvoqve poetae comici, interponentes e choro canticum, diviserunt spatia fabularum; ita partes cubica ratione facientes, intercapedinibus levant actorum pronuntiationes:* — et qvaerit: „quid est, quod hic Graecos tantum comicos, non etiam Latinos commemorat?" Id inde est, qvod ipsam inventionem separandi in fabulis actus plures respexit. Qvare etiam (verbis utimur Hermanni p. 298) „*e choro canticum* dixit, carmen a choro can-

Donatus in verbis allatis et in aliis, qvibus de actibus distribuendis praecipit, non tam spectatorum qvam legentium rationem habuit *), tamen ex iis, qvae dicit, et e loco qvodam Euanthii **) satis superqve apparet qvinqve actus inter se distingvere horum qvidem grammaticorum aetate perdifficile visum esse, qvae difficultas sicut nulla fuisset lectoribus, si in libris distinctio actuum constanter indicata esset, ita nulla spectatoribus, si semper inter actus tibiae intervenissent. Sed haec relinqvitur qvaestio, itane fuerit iis temporibus, qvibus ambo hi grammatici vixerunt, an ab initio. Et videtur sane amissa potius, exemplaribus librorum depravatis et raro in scenam delatis fabulis, notitia hujus rei grammaticorum tempore fuisse, oblitteratus tum etiam cum rebus aliis intercinendi ille mos ***), qvam ob eam causam, qvam Donatus memorat, a poetis res sic esse instituta ****). Hoc vero utcumqve exi-

---

tatum significans" *(canticum* hoc loco, ut interdum fit, in universum designat carmen cantu perseqvendum). Nam constat actuum separationem enatam esse in fabulis Graecis ex earum per chori cantica partitione; poetae autem comici choros comoediis subtrahere coeperunt, *locum eis relinqventes* (verba sunt Euanthii, qvae vide in fine annotationis post hanc qvartae), i. e. intervalla inter partes fabulae, inter binos actus, facientes.

*) Id perspicitur de verbis allatis et ex iis, qvae proxime haec antecedunt, et ex his, qvae ibi seqvuntur: *Confundit saepe lectorem id, qvod persona in superiori scaena desinens et in proxima incipiens loqvi non intelligitur ingressa.*

**) *De tragoedia et comoedia* (Terent. ed. Klotz. tom. I. p. XIV): *Postremo ne locum qvidem reliqverunt* (choro poetae): *qvod Latini fecerunt comici, unde apud illos dirimere actus qvinqvepartitos difficile est.*

***) Hoc Donati ad Andr. IV. 3. 1 et testimonio est actas esse etiam illis temporibus comoedias veteres et ostendit magnas in agendis fabulis mutationes tum esse factas: *Vide non minimas partes in hac comoedia Mysidi attribui, hoc est personae femineae, sive haec personatis viris agitur, ut apud veteres, sive per mulierem, ut nunc videmus.*

****) Dicit Donatus in praef. Eunuchi: *Actus sane implicatiores sunt in ea, et qvi non facile a parum doctis distingvi possint: ideo, qvia tenendi spectatoris causa vult poeta noster omnes qvinqve actus velut unum fieri, ne respiret qvodam modo atqve distincta alicubi continuatione succedentium rerum ante aulaea sublata fastidiosus spectator exsurgat.* Cfr. eundem in praef. Andriae. Non tamen uno tenore ac sine ullis temporis intermissionibus comoedias peragi solitas esse, qvod fere contendere videtur Euanthius in verbis supra positis (in annot. ante hanc 2:da), Donatus intelligi vult in his ad Adelphos: *In dividendis actibus fabulae identidem meminerimus, primo paginarum dinumerationem neqve Graecos neqve Latinos servasse, cum ejus distributio hujusmodi rationem habeat, ut, ubi attentior spectator esse potuerit, longior actus sit, ubi fastidiosior, brevior atqve constrictior.* Magnum vero atqve delicatum fastidium in comoediis spectandis Euanthius ipsis Atheniensibus aetatum mediae et novae comoediae aeqvalibus tribuit hoc loco, qvi proxime ei praecedit, ad qvem modo lectorem relegavimus: *Comoedia vetus ut ab initio chorus fuit paulatimqve personarum numero in qvinqve actus processit, ita paulatim velut attrito atqve extenuato choro ad novam comoe-*

stimabitur, qvi haec nostra lecturi sunt, facillime, ut speramus, concedent recte nos fecisse, si ad tibias in comoediis Terentii dijudicandas etiam actuum intervalla diligenter respexerimus et, qvid tibiae his locis cecinerint, e proxime antegressis seqventibusve seu diverbiis seu canticis, qvae qvin tibiae vel qvasi meminissent vel praenuntiarent, non potuerit fieri, aestimaverimus. Sed ut dicamus, qvod sentimus, aut nulla fuit ipsi Plauto et Terentio ceterisqve poetis fabularum in qvinqve actus vera divisio, qvae iis diserte ascribitur, aut non tantum scena paulisper vacua relicta, sed etiam alio qvodam modo finis actus significabatur, idqve, qvoniam aulaeum ante exitum fabulae non motum esse constat, tibiis intercinentibus fiebat, qvas jam post primum actum Pseuduli finitum spectatoribus delectandis inserviisse Plautus Pseudulum servum testem fecit.

Grande momentum in comoediis Romanorum musicae tributum esse inde patet, qvod nomen ejus, qvi modos fecerat, cum tibiarum genere in didascaliis notatum est. Sed omnino cantica in his fabulis non ita multa sunt, in Terentii Heautontimorumeno tantum duo, in qvibusdam Plauti singula aut nulla *), eamqve ob rem in qvaestionem venire debet, num forte tibiae, praeterqvam qvod inter actus breves per breve tempus sonuerint, etiam alios suos locos extra cantica habuerint, id est in diverbiis; tametsi pravum esset credere eas per totas ubiqve comoedias aut per majorem harum partem sonos edidisse. Qvae si etiam diverbiis qvibusdam comitatae sunt, non ideo haec diverbia vere cantata putare necesse est, neqve cantica nomine falso appellanda sunt, sed modulatius, qvam cetera diverbia, pronuntiata fuerint, comitibus factis, vel perpetuis vel ex intervallo redeuntibus, tibiis, qvale genus pronuntiationis recentiores *recitativum* nominaverunt. Neqve perspicere possum, qvales *rhythmicas modulationes* verborum, qvas *musici* temperaverint, nisi hujuscemodi, Marius Victorinus qvodam loco a *lyricis cantionibus* distingvat **).

---

diam sic pervenit, ut in ea non modo non inducatur chorus, sed ne locus qvidem ullus jam relinqvatur choro. Nam postqvam otioso tempore fastidiosior spectator effectus, tunc, cum ad cantores ab actoribus fabula transibat, consurgere et abire coepisset, admonuit poetas primo qvidem choros praetermittere, locum eis relinqventes, ut Menander fecit, hac de causa, non, ut alii existimant, alia.

*) Singula in Sticho et Persa, nulla in Milite glorioso, Epidico, Poenulo, Curculione esse videntur.

**) *De orthographia et de metrica ratione* (Scriptor. Lat. rei metr. ed. Gaisford. p. 49, apud Putsch. p. 2481): *Inter Metricos et Musicos propter spatia temporum, qvae syllabis comprehenduntur, non parva dissensio est. Nam Musici non omnes inter se longas aut breves pari mensura consistere, siqvidem et brevi breviorem et longa longiorem dicant posse syllabam fieri: Metrici autem, prout cujusqve syllabae longitudo ac brevitas fuerit, ita tempo-*

Notum est canticorum, qvae vere sunt, partibus interposita saepe esse diverbia brevia, qvae dicentes fecit poeta homines, qvi in scena adsunt et canticum audiunt, sed ab eo, qvi hoc agit, anteqvam carmen finitum est, nec videntur nec audiuntur, et haec verba aliena canticis interjecta spectari in fine hujus loci Diomedis (p. 491. K.): *Diverbia sunt partes comoediarum, in qvibus diversorum personae versantur; personae autem diverbiorum aut duae aut tres aut raro qvattuor esse debent; ultra augere numerum non licet. In canticis autem una tantum debet esse persona, aut, si duae fuerint, ita esse debent, ut ex occulto una audiat nec conloqvatur* (cum eo, a qvo agitur canticum), *sed secum, si opus fuerit, verba faciat:* qvo loco, ut Wolffius jam dixit (p. 11), oblitus est addere grammaticus non modo unum adesse posse et secum loqvi, dum canticum intermittitur, sed etiam haud raro fieri, ut duae personae audiant et inter se colloqvantur. Jam ut eo redeat, unde deflexit, oratio, haec unius aut plurium inter cantici partes prolata verba, — qvae, ut mox ostendetur, seu plurium sunt seu unius, recte diverbium appellantur, — ad modos tibiarum pronuntiata esse evincam, ubi cantica Terentii perlustrabo. Qvod si certo comprobabitur usitatum fuisse, ut in his diverbiis tibiae non silerent, qvidni cecinerint etiam in aliis aliqvando diverbiis, dummodo haec insigni qvadam dictionis alacritate aut vehementia fuerint? In Sticho Plauti exemplum exstat (act. 5 sc. 4, 5) adhibiti in diverbiis tibicinis; tametsi hae qvidem scenae suum qviddam proprium habent, in qvibus ad convivalem laetitiam concelebrandam tibicen, qvi hujus fabulae erat, nominatim advocatus et sic inter personas fabulae receptus sit. Sed persvadent de eo, qvod nunc qvaeritur, permultae scenae Plautinae, in qvibus metro melico colloqventium sermo procedit. Haec sunt illa in Plauto diverbia, qvae cum nihil a canticis distent, si metrum eorum spectes, nonnulli iis etiam nomen canticorum qvasi coacti impertiverunt*), dum cantica semper μονῳδίας esse vel dubitant vel negant. Atqvi ea hujus rei explicatio, qvam jam proposuimus, neqve ve-

---

rum spatia definiri, neqve brevi breviorem aut longa longiorem, qvam natura in syllabarum enuntiatione protulit, posse aliqvam reperiri. Ad haec Musici, qvi temporum arbitrio syllabas committunt in rhythmicis modulationibus aut lyricis cantionibus, per circuitum longius extentae pronuntiationis tam longis longiores, qvam rursus per correptionem breviores brevibus, proferunt.

*) Sic etiam, qvod ex. c. commemoramus, Fritzschius in programmate Rostochiensi a. 1861 (de Trinummi v. 223—300) et ipse Ritschelius, summus dux studiorum ad poësim Romanorum scenicam pertinentium, in programmatis Bonnensibus a. 1850 et 1858 (de personarum nominibus qvibusdam in Sticho et de Poenuli v. 211—262) et in Prolegomenon editionis Plautinae capite XVIII.

terum auctorum appellationibus repugnat et satis rem explanat. Non igitur tibiae mutae erant ad Trinummi actus 2 scenae 2 versus 1—25 (v. f. 276—300) post canticum Lysitelis, qvod scenam superiorem continet, neqve in Pseuduli ultima scena (v. f. 1285 sqq.) post canticum, qvod est in scena paenultima (v. f. 1246—1284), neqve initio novorum actuum, postqvam tibicen assis tibiis paulisper praeluserat, in Pseuduli v. 574—594, in Stichi v. 1—47, in Captiv. v. 195—239, neqve, etsi nullus cantus proxime antecessit, in Casinae act. 3 scena 5 et in Poenuli act. 1 scenae 2 versibus circiter 50, ut haec exempla e multorum copia indicemus; omnia enim enumerare nostrum nunc non est. Sed qvod modo contendimus explicationem nostram non pugnare cum veterum definitionibus, secus esse nonnemo dixerit, qvi hunc locum Donati in superioribus prolatum: *Diverbia histriones pronuntiabant. Cantica vero temperabantur modis* e. q. s. meminerit. Neqve negamus opinionem nostram verbis hisce Donati, ut nunc habentur, repugnare videri, sententiae autem ejus, qvalis esse debuit et, id qvod posterius ex ejusdem praefationibus ostendemus, fuit, adversari minime concedimus. In libello Donati de comoedia lacunoso et mutilato, qvalem esse nemo gnarus infitiabitur, ad cantica referuntur omnia, qvae sunt de modis musicis comoediarum *); at vero sicut etiam inter actus cantus tibiarum fuit, ita eundem ad diverbia qvaedam pertinuisse credere, non laesa auctoritate antiqvitatis, licebit. — Qvod si sunt in comoediis colloqvia, qvae *diverbia ad tibias modulata* recte vocemus, exqvirere attinet, sintne ad hoc idem genus diverbiorum referendi etiam loci qvidam ex numero eorum, ubi ipse secum aliqvis loqvitur, ut haec soliloqvia ad modos musicos pronuntiata non ideo sint cantica, sed nomine diverbii comprehendenda. Diomedes diserte et plane dicit illud, qvod jam attulimus: *Latinae igitur comoediae — — — duobus membris tantum constant, diverbio et cantico;* neqve id falso aut parum accurate dicere putandus est, qvia etiam Donatus non alia qvam haec duo membra comoediae distingvit, et Livius, postqvam *canticum,* et qvomodo id agere coepisset Andronicus, commemoravit, addit *diverbia* tantum ipsorum histrionum voci posthac esse relicta (v. supra p. 20 annot. 2). Satis igitur apparet veteres ipsos diverbii appellatione complexos esse etiam ea soliloqvia, qvae cantica non essent **), qvem-

*) Itaqve in illa enuntiatione: *Agebantur autem tibiis paribus aut imparibus et dextris aut sinistris* (v. supra p. 5 sq.), qvae subseqvitur hanc, de qva mox disputabimus: *Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant*, et qvae sunt reliqva, sententiae subjectum rectius fortasse intelligitur *carmina*, qvam suppletur, sicut feci cum aliis, *fabulae;* qvod imprimis post lectam eam enarrationem, ad qvam hic lectorem delegavimus, contendi poterit.

**) Hoc dicto nihil novi extulimus. Grysari haec sunt (p. 371, annot. 1): *Streng ge-*

admodum nostris temporibus omnia fabulae verba *dialogi* vocabulo comprehendi solent, non iis in hac communi nominatione exceptis, qvae solus secum aliqvis facit, nisi si canuntur, sed omnibus carminibus exclusis; eamqve dicendi consvetudinem Romanos multo etiam constantiorem habuisse ex hoc perspicitur, qvod ad id significandum, qvod Graeci sero *μονολογίαν* vocaverunt, nullo proprio vocabulo usi aut indigere sibi visi sunt: nam *soliloqvium* primus Augustinus (nec tamen is de scenico sermone), ut ipse narrat, invenit (Soliloqv. 2. 7. 14), Romani autem satis habuerunt, sicut graece *ὁ πρὸς ἑαυτὸν διάλογος* dicitur, ita, sive in scenam plures inter se, sive singuli secum colloqventes (hi autem non canticum agentes) inducti erant, *diverbium* nominare. Hoc paulo diligentius definire necesse fuit, qvia saepe in sqq., etiamsi unus in comoedia loqvitur, diverbii nomen non vitabimus. Jam ut illuc redeamus, ne ea qvidem diverbia, qvae sunt secum colloqventium, ad modos tibicinis modulata non interdum fuerunt. Qvo posito qvam in perturbationem omnis qvaestio canticorum incidere videatur, bene intelligo, sed, qvemadmodum res diversae internoscantur, exemplo ostendam. Canticum vocatur Plauti Captivorum scena 2 actus 3, in qva omnia sunt Hegionis senis:

Quid est suáuius quam bene rém gerere
Bonó puplicó, sicut égo feci herí,
Quom emi hósce homines. ubi quísque uident,
Eúnt obuiám gratulánturque eám rem.

---

nommen sollten unter diverbia nur solche Stellen verstanden werden, in denen zwei oder mehrere Schauspieler sich mit einander unterreden. Diese machen in jedem Drama den bei weitem grösseren Bestandtheil aus: und so darf es uns nicht Wunder nehmen, wenn Donat ebenso wie Diomed dem Canticum gegenüber alles was nur recitirt und nicht gesungen wurde, auch Monologe solcher Art, mit unter dem Namen Diverbium befasst haben. — Ceterum idem vir clarissimus in fundamento eorum Donati verborum, qvibus diverbia histriones pronuntiasse, cantica vero temperata modis esse dicuntur, has asseverationes constituit: *Die Recitation der Diverbien und alles dessen was nicht Canticum oder* [in fabulis palliatis tragicis] *Chor war, geschah ohne Begleitung der Flöte* (p. 370) et: *Mit dem Verbum pronuntiare bezeichnet Donatus die blosse Recitation, in welcher zwar der in dem jedesmaligen Metrum liegende Tact genau eingehalten wurde, aber so, dass gar keine musikalische Begleitung dazu trat* (p. 371). Neqve aliter sentit Friedlaenderus in Antiqv. Marqv. p. 539: *In dieser Bühneneinrichtung bestand das Drama aus Dialog, Pantomime und Gesang mit Flötenbegleitung; die Dialoge (diverbia) wurden stets gesprochen und waren niemals componirt.* Et sunt hae opiniones, qvantum e libris intelligi potest, nunc omnium virorum doctorum communes. Ne ii qvidem, qvi colloqvia qvaedam Plautina cantica nominaverunt, usqvam significant se putare haec diverbia, qvae cantica iis videntur, non fuisse, ut cantica alia, vere cantata.

Itá me miserúm restitándo, retinéndo
Lassúm reddidérunt:
Vix éx gratulándo misér iam eminébam.
Tandem ábii ad praetórem. ibí uix requiéui,
Rogó syngraphúm:
Datúr mi: ilicó
Dedí Tyndaró.
Ille ábiit domúm. postquam id áctumst,
Eo prótinus ad fratrém, mei ubi álii sunt captíui:
Rogó Philocratem ex Álide ecquis nórit: hic extémplo
Exclámat, esse eum síbi sodalem: díco eum esse apúd me.
Hic órat opsecrátque, eum sibi út liceat uidére.
Iussi ílico hunc exóluier. inde ábii. nunc tu séquere,
Vt quód me orauisti ímpetres, eum hóminem uti conuénias. *)

Non est canticum. Nam qvae Hegio expromit de gaudio sibi e re bene gesta percepto et de hominum gratulationibus deqve Tyndari in Elidem missione et Aristophontis, mutae in hac scena personae, desiderio Philocratis conveniendi, haec minime sunt ejusmodi, ut intelligatur actionem ea pantomimicam, a vocis cantu separatam, reqvisivisse aut admisisse; et praeterea Aristophontem, qvem secum ducit senex, bis (v. 14 et 16) digito monstrat spectatoribus et in vers. duobus ultimis alloqvitur; qvalia numqvam is, qvi canticum agit, sed semper secum omnia. At vero non sine causa verba modulatissima sunt et tam vario metro: qvae prosecutae sunt tibiae. Etenim hae cecinerunt etiam et ante et post hoc diverbium, qvod interpositum est inter soliloqvia Ergasili et Tyndari, qvae ambo cantica esse, qvod utriqve ars pantomimica praeclare convenerit, asseveraverim. — Sed id, qvod in his diverbiis Plautinis, qvae non sine tibiarum cantu enuntiata videntur esse, pronuntiationem versuum modulatiorem et actionem alacriorem solito fuisse arguit, metrum dico et maxime varium et melici simile, id signi non pari modo Terentii diverbiis impressum deprehendas: qvam ob rem admodum difficile est in hujus poetae comoediis diverbia ad tibias modulata agnoscere, qvae tamen ne illis qvidem desunt.

Qvoniam etiamnum id agimus, ut, cujusmodi locis in actionibus comoediarum tibiae auditae sint, indicemus, et de ultimo fine fabularum et de ipsis initiis actionis loqvi oportet, qvamqvam non erit, qvod posthac ad Terentii fabulas oratio eodem revertatur, qvia nec hinc nec illinc aliqvid proveniet,

*) Ex editione Brixii.

unde de genere tibiarum in singulis fabulis possit concludi. Illud, qvod in Terentio est, *Plaudite!* vel *Vos valete et plaudite!* et qvod semper apud eum, sicut ab Horatio (Ep. ad Pis. v. 155), *Cantori* tributum est, — aliter plerumqve apud Plautum res se habet*), — tibiis proseqventibus decantatum esse per se liqvere videtur. Cantor enim, i. e. idem, qvi cantica voce cecinit, qvid sine tibiis? — Cum aliqvanto autem impeditiore qvaestione conjunctum est, qvod de principiis actionis fabularum nunc addendum. Sunt multi, qvi dicant fabulis scenicis fuisse musicum qvoddam exordium *(Ouverture)*. Nolim eqvidem huic opinioni repugnare, qvippe per se admodum verisimili. Sed id argumentum, in qvo niti dicitur, non accipio. Ducta enim est ex interpretatione Donati de comoedia p. XVIII edit. Terent. Klotz., ubi grammaticus, de canticis locutus, sic pergit: *Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante discerent, qvam fabulam acturi scaenici essent, qvam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuntiaretur.* Ritschelius **) in hoc loco magnopere offendit, qvi, sicut ceteri, qvantum video, omnes, Donatum hoc dicere putat: „usitatum fuisse“ — (Hermanni sunt haec verba, l. c. p. 296) — „ut, ante qvam histriones in scenam prodirent, immo ante qvam fabulae titulus pronuntiaretur, tibicen tibia modos caneret eos, qvi deinde canticis essent adhibendi.“ Haec Ritschelius argumentatione impugnans, qvam a nobis referri non opus est, contendit errori Donati hanc ejus narrationem tribui debere, qvi etiam de cantu tibiarum ab intelligentibus, cum auditus esset, recognito turpiter se ipse fefellisset: id enim et deinceps cetera orta esse e male intellecto loco illo Ciceronis Academ. II. 7. 20 — qvem locum grammaticum in mente habuisse A. G. Langius jam ante conjecerat ***): *Qvam multa, qvae nos fugiunt in cantu, exaudiunt in eo genere exercitati! qvi primo inflatu tibicinis Antiopam esse ajunt aut Andromacham, cum id nos ne suspicemur qvidem.* Ciceronem, cujus verba Donatus falso ad scenicas actiones retulisset, non de his, sed de modulationibus qvibusvis aliis tibiarum cantica e tragoediis canentium loqvi Ritschelius ait. At vero ne Donatus qvidem in iis, qvae de tibiis, qvibus auditis multi, qvam fabulam acturi scenici essent, jam ante cognovissent, attulit, fabulae coram populo actionem, verum is certe, et fortasse etiam Cicero, exercitationes scenicas ante ludos et ante editos libellos munerarios (qvi-

---

*) De reliqvo cftr. Bentlejus ad Andr. V. 6. 17, Wolffius p. 18—20, Ritschelius in Prolegomenis editionis Plautinae p. XXX.

**) *Parergon Plautinorum Terentianorumque* vol. 1, p. 301—304.

***) *Vindiciae tragoediae Romanae* (Lips. 1822), p. 45.

bus temporibus hi jam in usu erant) institutas *) et foris auditas cogitatione complexus est. Nam qvid est illud, qvod *spectatoribus ipsis* opponuntur alii qvidam inflatum tibiarum audientes? Hi videlicet ii sunt, qvi nondum spectatores facti, nondum in cuneis et orchestra sedebant. Haec interpretatio eo firmatur, qvod ita continuatur apud Donatum oratio (ea omnia verba usqve ad finem libelli seqventia proposita sunt supra p. 5 sq.), ut ibi dicatur, qvomodo tum, cum fabula non spectaretur, de argumento ejus vel serio vel jocoso vel inter utrumqve genus medio e tibiis judicari potuerit: ubi, qvia latine dici sane non possunt tibiae *sua gravitate seriam comoediae dictionem pronuntiare,* apertum mendum agnoscendum et pro *pronuntiabant* scribendum *praenuntiabant* censeo; — ubi porro alias tibias, qvae *acuminis levitate jocum in comoedia ostendebant,* non ipsis spectatoribus, qvi, qvid jocosum esset, qvid non, aliunde melius cognoscerent, sed tibias tantum audientibus jocum ostendisse intelligendum est; — qvo loco deniqve hoc extremum: *ubi autem dextra et sinistra acta fabula inscribebatur, mistim joci et gravitates denuntiabantur* variatam continet narrationem de judicio fabulam non spectantium, sed titulum modo ejus legentium ex hoc petito. Ut vero in Donati de comoedia libello multa nunc sunt verbis omissis contracta et decurtata, non debet qvemqvam nimis offendere repentinus ille et non ante praeparatus transitus ad tibias in scenicis exercitationibus foris auditas, postqvam nihil antecessit praeter illud *Hujusmodi adeo carmina ad tibias fiebant.* — Atqve adeo tanta in Donatum injustitia vir ille celeberrimus fuit, ut etiam *pronuntiationem tituli,* omnia cetera in actione fabulae antecedentem, etsi multa de ea grammaticus in libello de comoedia loqvitur et ejusdem rei in tribus praefationibus meminit, ab ipso totam per errorem fictam esse asseverarit. Sed de hac re verbis parcere nos sinit praeclara disputatio Dziatzkii **), qva confisi non dubitamus, qvin mos ille fuerit, ut nomen fabulae cum nomine poetae ante prologum de scena pronuntiaretur. Ne vero id, qvod de hoc eodem non minus breviter in prologo iteratum est (iteratio profecto non supervacanea), statim et nulla re interveniente afferretur, cantus, post tam sollennem proclamationem exspectandus, sane videtur interfuisse, qvo loco inter-

*) De his exercitationibus cftr. Carolus Magnin in *Revue des deux Mondes,* tom. 22 (seriei 4) p. 279—286 (*„De la mise en scène chez les Anciens"*); qvi tamen etiam verba Donati, de qvibus qvaerimus, spectare opinatur ad exordium ipsius actionis fabularum; dicit enim, horum Donati verborum ratione habita, tom. 24 p. 429, annot. 5: *Souvent, quand la pièce était ancienne, le jeu des flûtes, qui précédait le prologue, suffisait pour faire deviner le titre de la pièce aux spectateurs.*

**) *De prologis Plautinis et Terentianis quaestiones selectae* (Bonnae 1864), p. 1—14.

positum etiam Ritschelius cogitari posse dicit (p. 303), atqve toti comoediae ibi praelusisse. Inter prologum autem et primum actum, qvi protasin fabulae introducit, tibias non cecinisse credimus, etiamsi in sqq., qvae ratio fuerit inter argumentum et tibias comoediae, in hoc qvoqve actu spectabimus.

Jam tempus est ad singulas Terentii comoedias accedere, ut, et qvae in iis sint cantica, et qvales tibiae in his fabulis adhibitae sint, earumqve tibiarum modis qvomodo vel cantica vel actuum primae extremaeqve partes, qvas inter tibiae canere solebant, congruerint, videamus. Diverbia singillatim notabimus non solum ea, qvae cantico sunt interposita, sed etiam si qvae longiora et separatim a canticis collocata ad tibias modulata fuisse videbuntur, qvamqvam in hoc posteriore genere et incertior neqve expleta enumeratio erit. In fabulis perlustrandis eum seqvemur ordinem, qvo disqvisitio optime procedet.

I. Ab Adelphis igitur ordiendum est. Cui comoediae didascalia in omnibus libris manu scriptis Terentianis, non minus in codice Bembino, omnium longe vetustissimo, qvam in ceteris, recensionem Calliopii secutis, *tibias Sarranas* tribuit. Bembini verba sunt: „Tibis Serranis *tota*“ *). At in praefatione hujus fabulae Donatus haec habet: *Modulata est autem tibiis dextris, id est Lydiis, ob seriam gravitatem, qva fere in omnibus comoediis utitur hic poeta. Saepe tamen mutatis per scenam modis cantica mutavit: qvod significat titulus scenae, habens subjectas personis litteras M. M. C. Item diverbia ab histrionibus crebro pronuntiata sunt, qvae significantur D. et M. litteris secundum personarum nomina praescriptis in eo loco, ubi incipit scena* **). Qvae verba attulimus jam hic omnia, qvia etiam ea, qvae sunt in extremo de diverbiis ab histrionibus pronuntiatis, non nullius momenti sunt in qvaestione de tibiis et canticis Terentii nec umqvam intellecta esse videntur. Superiora, qvae ad modos canticorum mutatos attinent, ne illa qvidem satis adhuc enucleata, non recte ii ceperunt, qvi, ut Salmasius (ad Script. hist. August. p. 495) et Boeckhius (Annal. Heidelb. l. c. p. 169), de modis diversis diversarum tibiarum inter se in eadem comoedia succedentium Donatum loqvi arbitrantur: qvasi vero nulla varietas modorum in iisdem tibiis fu-

*) Cftr. Geppertus l. c. p. 569 sqq., qvi ad didascalias Terentii recensendas 45 libros scriptos consuluit.

**) Ad manum mihi haec scribenti fuerunt editiones Terentii cum praefationibus vel argumentis et commentariis Donati Schreveliana (Lugd. Batav. et Roterod. 1669) et Westerhoviana, qvam Stallbaumius curavit (Lips. 1830 sq.) atqve Klotziana (Lips. 1838, 1840); qvarum haec, repudiatis tribus illis compendiis *M. M. C.*, qvae et hac et superiore aetate omnes in hunc locum inqvirentes sine ulla dubitatione protulisse video, recurrit non bene ad editionum duarum vetustissimarum scripturam *d. m. e. s.*, qvae mendosa sit necesse est.

erit, et qvasi verisimile sit — qvoniam in aperto est modos unius et ejusdem cantici mutari solitos dici — abjectas a tibicine tibias et novas in medio carmine sumptas esse. Negare noluit Donatus, aut qvisqvis haec post eum talia effecit, qvalia nunc sunt, eas tibias, qvas Adelphis esse scripserat, usqve qvaqve huic fabulae esse, qvippe cum nullas alias commemoret; is vero postqvam seriam qvandam dicendi gravitatem Terentio omnino placuisse memoravit, addere voluit, in iis qvoqve verbis non solum Adelphos, sed generatim fabulas Terentianas spectans, modorum qvidem in canticis gravitatem, ab eo, qvi modos fecerat, pro re nata usurpatam, ab eodem saepe variatam esse, idqve in libris veteribus cura poetae notis designari hanc rem significantibus. Hoc in universum de comoediis Terentii intelligi scriptorem voluisse rerum exemplis firmaturi sumus; sed jam nunc apparet vitiosum esse illud: *saepe tamen mutatis per scenam modis cantica mutavit;* his enim verbis poeta diceretur orationis genus mutavisse pro mutationibus modorum ab horum inventore excogitatis, qvod contra factum esse perspicuum est *). Mendum cum ita primo correcturus essem: *saepe tamen mutatos per scenam modos cantici notavit,* mox satius duxi tantum ultimum verbum sic emendare, a ceteris manum abstinere. Nam ablativi esse possunt qvalitatis et hic et ubi in praefatione ad Eunuchum legimus: *cantica saepe mutatis modis exhibita sunt;* qvare ipsam formam vocabulorum, qvorum notas subjecit, grammaticus in explicatione servavisse videtur, hic tamen inter ea interponens, si modo id ipse fecit: *per scenam,* i. e. in una eademqve scena, sicut altero loco, qvi valde corruptus est: *saepe.* Et qvoniam, ut nos docet is, qvi sine dubio ipse vidit, in libris vetustis Terentianis initio scenae indicari solebat, si qvod canticum mutatis modis in ea scena continebatur, nec minus canticis, in qvibus modi non mutabantur, opus fuisse denotatis sponte sane intelligitur, ad haec significanda in titulo scenae nomini personae, cujus erat canticum agere, subscriptum fuisse videtur *C.,* i. e. *canticum,* ad illa superiora *M. M. C.,* i. e. *mutatis modis canticum* **). Cum hoc loco Donati prope omnes, qvi de eo disseruerunt,

---

*) Grysarus l. c. p. 373 ideo scribendum censuit: „saepe mutatis per scenam canticis, modos mutavit", — addens: „*d. h. so wie in der einzelnen Scene der Ton des Canticums sich änderte, so hat er auch den Tonsatz in dem musikalischen Texte ändern lassen*".

**) Hermannus dicit l. c. p. 295: „Itaqve ei scenae, in qva canticum esset mutatis modis, litterae *M. M. C.,* qvae mutari modos cantici indicarent, praemittebantur"; similiterqve praeter alios jam multis aetatibus ante Salmasius l. c.: „Significabant hae tres litterae singulares *mutatos modos cantici*". Accuratius autem verborum designatorum formam definitam ita voluit Wolffius l. c. p. 5: „Mutantur modi cantici". Male maluit Grysarus p. 373: „Mutavit modos cantici"; h. e. mutandos curavit poeta.

illum e Donati de comoedia libello contulerunt: *Diverbia histriones pronuntiabant. Cantica vero temperabantur modis, non a poeta, sed a perito artis musicae factis. Neqve enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed saepe mutatis, ut significant, qvi tres numeros in comoediis ponunt, qvi tres continent modos cantici* *). Qvibus in verbis qvid sibi velint tres numeri, satis Hermannus (p. 294 sq.) eatenus declarat, ut moris hoc censeat fuisse, ut praeter eam significationem, qvae erat in titulo scenae, insuper ad eos versus cantici, in qvibus mutarentur modi, ascriberentur suo qvisqve loco in margine numeri I, II, III. Ternarii vero numeri vis in re musica antiqva qvam multiplex fuerit, monet Langius (l. c. p. 44), auctore usus Aristide Qvintiliano, cujus verba talia sunt **), ut etiam iisdem tibiis geminis, qvibus cantus aliqvis inceptus erat, qvarum cum aliis in eodem cantico commutationem loco Donati illo ostendi negavimus, maxime varios atqve plane contrarios animorum motus per triplicem modulationem exprimi potuisse pateat. Et qvalis ista, qvaeso, fuisset musicorum veterum ars, si nihil nisi triste, maestum, severum uno genere tibiarum cecinissent, nec qvidqvam alio qvodam nisi hilare, laetum, jocosum, si non iisdem tibiis a desperatione ad spem, a summo dolore ad maximum gaudium assurgere et contrariam, qvando usus erat, viam perseqvi potuissent? Sed qvia, ut supra indicatum est (p. 18), aliud genus tibiarum alii argumento accommodatius erat, ideo qvidem, non autem velut si per se qvodqve genus nihil praeter unam rem valeret, magnum rei discrimen sine dubio in electione tibiarum ponebatur. — Haec ad priorem partem loci e praefatione Adelphorum supra allati disputanda nobis visa sunt, priusqvam ad posteriorem, qvae hinc orditur: *Item diverbia ab histrionibus crebro pronuntiata sunt* e. q. s., interpretandam aggrederemur. Qvam partem ii aut praeterierunt silentio aut, ut Langius, se non intellexisse professi sunt ***), qvi de loco Donati dixerunt, praeter Wolffium (p. 7 sq.) et Gry-

*) Proxime ibi seqventium verborum verissima est emendatio, etsi negat Grysarus p. 375, qvam proposuit Langius in *Vindiciis tragoediae Romanae* p. 44 sq.: *Illius, qvi hujuscemodi modos faciebat, nomen in principio fabulae et scriptoris et actoris superponebant.* (In libris est: *cantici illius. Qvi hujuscemodi modos faciebant* e. q. s.).

**) *Διαφέρουσι δ' ἀλλήλων αἱ μελοποιΐαι· γένει· ὡς ἐναρμόνιος, χρωματική, διάτονος· συστήματι· ὡς ὑπατοειδής, μεσοειδής, νητοειδής· τόνῳ· ὡς δώριος, φρύγιος, λύδιος· τρόπῳ· νόμικῷ, διθυραμβικῷ, τραγικῷ· ἤθει· ὡς φαμὲν τὴν μὲν συσταλτικὴν, δι' ἧς πάθη λυπηρὰ κινοῦμεν· τὴν δὲ διασταλτικὴν, δι' ἧς τὸν θυμὸν ἐξεγείρομεν· τὴν δὲ μέσην, δι' ἧς εἰς ἠρεμίαν τὴν ψύχην περιάγομεν.* (Antiqvae musicae auctores, ed. Meibom., tom. 2 p. 30, qvod opus ad manum ipse non habui).

***) Horum Donati verborum sententiam obscuram neqvedum explicatam esse dicit etiam Friedlaenderus in Antiqvitatibus Beckeri et Marqvardtii, IV. p. 540, ann. 3453.

sarum (p. 371 sq., ann. 2), qvorum tamen ille, cautissime judicans, haec verba explicatu adeo difficilia esse ait, „ut desperandum sit, an qvis umqvam plenius et accuratius sensum indagare possit.“ Animadvertit autem Donatum ejusdem rei meminisse in praefatione ad Eunuchum, ubi haec leguntur: *Diverbia multa saepe pronuntiata, et cantica saepe mutatis modis exhibita sunt.* Neutro loco *diverbia crebro l. saepe pronuntiata* intelligi licere saepius a revocatis histrionibus repetita, cum praesertim talis successus semel pluriesve habiti memoria nihil ad perpetuam designationem comoediarum, qvam spectare grammaticum ad Adelphos apertum est, pertineret nec posset eo modo in libris inscribi aut illis compendiis denotari, idem vidit. Ceterum *D* et *M* litteras interpretans *diverbia mutata,* excidisse fortasse utroqve loco post *crebro* et *saepe* verba *per mutationem,* qvae si exstarent, nullam futuram fuisse obscuritatem, nunc autem nihilo minus de celeritate, gravitate, vehementia in diverbiis pronuntiandis varie adhibita cogitandum esse credit: proinde qvasi talis res non histrionum arti relinqvenda, sed iis in principio scenarum qvarundam, qvamqvam in omnibus actione arguta opus erat, commendanda fuerit. Libri verba fabularum scenicarum continentes non magis potuerunt histrioniam praeceptis, praesertim tam generalibus neqve ad singulos versus ascriptis, moderari, qvam notas musicas, qvarum separati libelli haud dubie erant, tibicini et cantori exhibere, sed cum ipsis verbis ad certas personas relatis tantum ejusmodi descriptionem partium fabulae proponere, ut etiam, ubi canticum esset, ubi canticum mutatis modis, ubi diverbium ad tibias pronuntiandum, indicarent. Neqve felicior in vero reperiendo fuit Grysarus. Qvi putat, ut in canticis Adelphorum et Eunuchi multitudinem modorum musicorum, ita in earum fabularum diverbiis horum multitudinem personarumqve vicissitudines laudari apud Donatum, neqve in comoediis eo loco, ubi scena inciperet, per *D* et *M* (interpretatur: *diverbia mutavit)* aliud qvidqvam significatum esse qvam novae scenae initium. Videat vero oportet, si qvis attentius Donati verba ad Adelphos contemplatur, non id, ut aliqvid insigne, sive Adelphis sive in universum comoediis Terentii tribui, qvod omnium fabularum scenicarum commune erat, ut varietate scenarum distinctae essent; sed in orationis tenore diverbiorum crebro pronuntiatorum mentionem sic injectam esse, ut haec res nexa sit ex iis ad eaqve pertineat, qvae ante memorata sunt de canticis variatis. Ne plura, ex illis, qvae de diverbiis modulatis diximus, perspicuum hic jam esse debet aut ea diverbia, qvae Diomedes locum in mediis canticis habere narrat, designari iisqve cantica Terentii saepe distingvi et variari dici apud Donatum, qvi etiam, qvod „diverbia *ab histrionibus* crebro pronuntiata“ commemorantur, qvoniam verba cantici non ab histrione gesti-

culante, sed a cantore efferebantur, qvodam modo declaraverit se idem velle, ac si scripsisset: „diverbia *in mediis canticis* ab histrionibus“ e. q. s., aut alterum genus diverbiorum ad tibias pronuntiatorum aut simul utrumqve significari. Etenim qvod in praefatione Adelphorum Donatus de diverbiis addidit, id certe aliqva ratione modorum musicorum, de qvibus ante loqvitur, habita dixit. Adjecerim autem verbis reliqvis ante *pronuntiata sunt* duo, qvae sententia desiderat: *ad tibias*. Nam qvantum verba Donati depravata sint, alter locus, qvi est ad Eunuchum, ostendit, ubi commemoratio diverbiorum mentioni canticorum praeposita est in codicibus manu scriptis, qvi hoc loco ne *diverbia* qvidem servaverunt, — qvae vox, qvia in ceteris suis omnibus praefationibus Donatus de diverbiis simul et de canticis meminit, pridem ab arte critica restituta est, — sed *proverbia* habentes, produnt, qvantopere sententia scriptoris librarios et posteriores grammaticos olim fugerit, ut occasio aperta fuerit mutationibus et correctionibus falsis, qvibus eo tandem perventum est, ut isti correctores non modo sibi, verum etiam omnibus, qvod sciam, philologis recentiorum temporum persvaserint Donatum, ubi in praefationibus cantica et diverbia eodem loco nominat, diverbia semper sic dixisse omnino eos versus fabulae, qvi canticorum non essent, ut hoc fit apud Diomedem l. c.: *Latinae comoediae — — — duobus membris tantum constant, diverbio et cantico*. Nec vero solum *proverbia* mendosissime scriptum est, sed non minus falsum videtur *multa*, de qvo Wolffius, leni utens judicio, p. 7: „*multa* juxta *saepe* fortasse displiceat“. In verbi hic profecto inepti locum substituerim, et sane verisimiliter, *modulata*, e qvo, praesertim per compendium scripto, alterum vel fortuito scripturae errore oriri potuerit, qvo facto, cum illud: *Diverbia multa saepe pronuntiata sunt* ne intelligi qvidem posse videretur, corrector excogitaverit *proverbia*. Qvae autem ad Adelphos Donatus tradidit, ea scripta esse apparet, cum suis oculis vidisset volumina vetera, qvae initio scenarum canticum mutatis modis et diverbia modulata vel canticis immixta vel separatim posita continentium, ut eas diversas partes distingverent et suae qvamqve personae assignarent, annotatum haberent ad nomen personae, cui canticum agendum erat, *M. M. C.*, ad earum autem nomina personarum, qvarum haec diverbia erant, *D. M.*, hoc est — non enim dubito sic interpretari — *diverbium modulatum*. Ad has res exemplis probandas seqventia pertinebunt, ubi etiam qvaerendum suis locis erit, etiamne ea, qvae in aliis praefationibus Donatus simul de canticis et de diverbiis attulit, ita plus minusve, ut qvae apud eundem ad Adelphos et Eunuchum dicuntur, accipienda sint.

In Adelphis actus 3:ii scenae 2:ae versus 1—21 (versus fabulae 299—

319), qvibus Geta, per scenam currens, metum et sollicitudinem et iram ob infortunium herili filiae et herae et cum iis sibi, famulo fidissimo, imminens effundit, dum adsunt et inter se colloqvuntur, nondum servo conspectae, Sostrata matrona et Canthara nutrix, canticum continere dixerunt cum Wolffio (p. 48) Benfejus (ad h. l. Terentii) et Grysarus (p. 369): qvod qvidem propter verba servi secum loqventis concitatissima et vehementer commoti animi plena atqve ideo actioni pantomimicae accommodata verisimillimum, immo certissimum est. Et cum, qvod tradidit Donatus de diverbiis (ad tibias) pronuntiatis, referri sane debeat etiam ad ea, qvae in canticis insunt, accedit id qvoqve argumentum, qvod fere necesse est credere hanc comoediam aliqvod canticum cum diverbio habere, neqve vero ulla est alia pars Adelphorum, in qvam haec res conveniat. Versus hi sunt *):

I. GE. *Nunc íllud est, quom, si ómnia omnes súa consilia cónferant*
Atque huíc malo salútem quaerant, aúxili nil ádferant,
Quod míhique eraeque fíliaeque erílist. uae miseró mihi:
Tot rés repente círcumuallant, únde emergi nón potest:
Vís egestas íniustitia sólitudo infámia.
Hócine saeclum! o scélera, o genera sácrilega, o hominem ínpium,
SO. *Me míseram, quid namst quód sic uideo tímidum et properantém Getam?*
II. GE. *quem néque fides neque iús iurandum néque illum misericórdia*
Représsit neque refléxit neque quod pártus instabát prope,
Quoi miserae indigne pér uim uitium obtúlerat. SO. *Non intéllego*
Satis quaé loquatur. CA. *Própius obsecro áccedamus, Sóstrata.* GE. *Ah*
III. *Me míserum, uix sum cómpos animi, ita árdeo iracúndia.*
Nil ést quod malim quam íllam totam fámiliam dari mi óbuiam,
Vt ego íram hanc in eos éuomam omnem, dum aégritudo haec ést recens.
Satís mihi habeam súpplici, dum illós ulciscar meó modo.
Seni ánimam primum extínguerem ipsi, qui íllud produxít scelus:

---

*) Seqvor in versibus Terentii afferendis et hic et alibi, ut par est, recensionem Fleckeiseni. Cujus etiam rationem verba scribendi, saepius a mea ipsius abhorrentem, ne qvid his locis in alienis peccasse videar, totam reddidi, et qvidem etiam in *u* et *v*, *i* et *j* sonis scriptura non distingvendis, qvam rationem, nunc in Germania usitatam, saltem extra editiones veterum minime necessariam esse, neqve sane in figuris litterarum, sed in usu verborum bonam latinitatem ponendam existimaverim.

Tum autém Syrum inpulsórem, uah, quibus íllum lacerarém modis!
Sublímen medium arríperem et capite prónum in terram státuerem,
Vt cérebro dispergát uiam.
Ádulescenti ipsi ériperem oculos, póst haec praecipitém darem.
Céteros ruerem ágerem raperem túnderem et prostérnerem.

De pronuntiatione diverbii cantico inserti non video homines doctos aliter sentire solere, ac de aliorum diverbiorum: omnia enim diverbia sine tibiis pronuntiata esse dicunt. En vero hic exempla *diverbii ad tibias modulati.* Nullo enim pacto credibile fieri potest tibias post v. 6, nondum finita sententia Getae, mutas factas esse, ut statim rursus a v. 8 succinerent, atqve iterum subito intra v. 10 in medio pede metrico conticuisse, donec denuo audiri deberent ad exclamationem Getae in fine versus 11, cum qva vocabulum antecedens per elisionem vocalis confunditur. Cernuntur hic profecto indicia pronuntiationis notis signisqve compositae, qvalis his temporibus vocatur *recitativa.* Praeterea intelligi etiam potest, qvomodo in hoc cantico modis musicis per immixta diverbia variatio afferri potuerit: neqve enim sermonem matronae et nutricis, rei noscendae studio captarum et sane timere jam incipientium, postqvam ad ultimum versum scenae superioris ambae bono animo fuerunt, sed qvae nondum satis qvidqvam auribus et mente perceperunt (cfr. v. 7, 10, 11), eadem tristitia modulationis decuit, qvae initium cantici servi omnia desperantis. Deniqve hoc qvoqve intelligitur, ipsius cantici modos mutatos esse, ubi abjecti animi maerorem depingere jam desiit et sensim assurgit ad majorem semper iram et ulciscendi cupiditatem, cui Geta qvomodo satisfieri velit, sibi ante oculos proponit, repraesentandam (inde a v. 8 usqve ad finem). Dixerim tibias post utrumqve diverbium animosius et fortius, qvam antea, sonare coepisse et varietatem modorum cantici signatam fuisse per I, II, III iis locis, qvibus hi numeri supra ascripti sunt.

Praeterea tria cantica in Adelphis Wolffius verissime, unum autem, qvod ordine primum esset, perperam indicavit. Illorum in numero est soliloqvium Aeschini in act. 4:i scen. 4:ae versibus 1—25 (v. f. 610—633), qvod esse canticum nemo, credo, non vidit, qvi id genus carmina in Terentio qvaesivit: etenim argumentum hujus soliloqvii non minus, qvam metrum valde varium, ex trochaicis, iambicis, choriambicis versibus compositum, naturae cantici plane congruit. Argumentum vero qvia modo qvestus, in qvos sese profundit juvenis falso de perfidia suspectus, modo narrationem sermonis cum Canthara de his rebus habiti, modo deliberationem, qvid in re trepida agendum sit, exponit, non poenitebit breviter dixisse hoc qvoqve exemplum censeri posse

cantici mutatis modis. Aliud canticum a Wolffio recte observatum continetur act. 5:i scena 1 (ex vera actuum distributione Fleckeiseni *), vulgo ejusdem actus sc. 4, — v. f. 855—881), trochaicis septenariis ad canendum aptis constante tota; in qva Demea, senex parcus et severus, vitae rationes, sibi adhuc tam praeclaras visas, parum tamen prospere institutas et novas jam sibi in ipsa senectute periclitandas esse edisserit, cantico hanc poenitentiam confiteri eo magis putandus, qvod in hac consiliorum ejus mutatione cardo qvidam fabulae vertitur. Non aeqve aperta indicia, ac qvibus haec cantica insignia sunt, id habet, qvod Wolffius tribuit Sannioni in act. 2:i sc. 1:a vel potius 2:a (in v. f. 196—208), qvod etiam, sicut omnia superiora, agnovit Benfejus; verum tamen qvae leno, solus in scena relictus, conqveritur de injuriis sibi illatis, dum eas, modo argentum accipiat, concoqvere vult, sed, argentum ut sibi detur, misere metuit, ea, velocibus septenariis trochaicis expressa, tam sunt, si verba spectamus, pantomimicae actioni apta, ut hoc soliloqvium nos qvoqve fidenter in numero canticorum repositum velimus. Nam praeceptum Grysari (p. 370), ne qvis attribuat cantica nisi iis personis, qvae locum admodum conspicuum in rebus fabulae gerendis tenent, parum confirmatur apud Terentium; veluti uni tantum personae de iis, qvas in Adelphis primarum, secundarum tertiarumqve partium habitas esse Donatus narrat **), suum est ex hujus comoediae canticis. His ejus qvattuor qvintum accedit, de qvo nihil attulit Wolffius, sed Benefeji annotatiuncula ad eum locum verbo monet canticum esse. Et id produnt praeter ea signa, qvae canticorum sunt omnium communia neqve huic desunt, qvaedam, qvae observentur, digna. Ctesiphonem enim, qvi hoc agit canticum, Syrus, qvi est in proscenio cum Sannione, venientem videns (v. f. 252), *laetum esse de amica* dicit et videlicet e gestu ejus colligit. Ut igitur adolescens jam, dum in scenam intrat, in gesticulando versatur, ita ibi, ut fit in canticis, oculis cernit neminem, sed animi sensa sibi soli interpretatur, donec Syrus nomen ejus exclamat. Argumentum autem versuum et ipsi versus cantico bene conveniunt. Neqve obstat hoc loco brevitas, sicut in aliis qvibusdam soliloqviis apud Terentium. Hic enim poeta, qvod saepius monendi causa erit, perbrevi interdum cantico

*) Cftr. Kayserus in commentariis Academiae litterarum Bavariensis, qvi inscribuntur *Gelehrte Anzeigen*, tom. 47 p. 283.

**) *In hac primae partes sunt, ut qvidam putant, Demeae: ut qvidam, Syri. Qvod si est, ut primas Syrus habeat, secundae Demeae erunt, tertiae Micionis, et sic deinceps. Qvamqvam etiam sunt, qvi putant primas Micioni dandas, secundas Syro, tertias Demeae.* — Syri nullum canticum est; qvale esse non potest propter summam brevitatem soliloqvium in qvinqve versibus 587—591.

utitur, si in vicinia aliud collocavit; neqve hoc Clitiphonis nisi una scena haud longa disjunctum est a Sannionis cantico versuum item pauciorum. Comprehenditur act. 2:i sc. 4:ae (vulgo 3:ae) versibus 1—6 (v. f. 254—259):

Abs quíuis homine, quómst opus, benefícium accipere gaúdeas:
Verum énim uero id demúm iuuat, si quem aéquomst facere is béne facit.
O fráter frater, quíd ego nunc te laúdem? satis certó scio:
Numquam íta magnifice quícquam dicam, id uírtus quin superét tua.
Itaque únam hanc rem me habére praeter álios praecipuam árbitror,
Fratrem hómini nemini ésse primarum ártium magis príncipem.

Ratione habita eorum, qvae de tibiis afferenda sunt, animadverti volumus in hac laeti hominis declaratione animi grati illam „seriam gravitatem", qvam Donati praefatio nominat, non licentiam ullam jocularem inesse. — Itaqve qvinqve cantica huic fabulae sunt, ex iisqve suo qvisqve actuum 3, 4, 5 instructus est, duobus autem brevioribus actus 2: primus, qvi protasin fabulae continet, nullum habet. Omni enim probabilitatis specie caret, qvod Wolffius in ipsa prima scena fabulae, exceptis versibus duobus primis et qvattuor ultimis, canticum longissimum ascribit Micioni seni, qvi, ut iambicis senariis utitur, a cantico, nisi si qvando in metri varietate singuli aliis versibus intermiscentur *), et in Terentio et in Plauto alienissimis, ita tam loqvitur secum sedate et seniliter, ut neqve carminis ullum vestigium in dicendi genere deprehendatur, nec ullus locus fuerit motui gestuiqve illi in canticis vigenti, qvi, ut actio a vocis cantu separaretur, effecerat. — At hic qvaerat aliqvis, num forte non cantica habenda sint ea aut qvaedam eorum, ad qvae id nomen a nobis qvoqve delatum est, sed diverbia ad tibicinis modos recitata, qvando qvidem hoc genus diverbii etiam in soliloqviis reperiri posse sumpsimus. At vero fieri neqvit, ut ea suspicio adhaerescat ad cantica Sannionis et Getae, qvorum de hoc nihil addimus, de illo autem eas turpissimi lenonis qverelas non aliter dignas existimandas esse, qvae tibiis comitibus usae sint, nisi ut pantomimica ratione expressae putentur, cui qvidem rei et risui inde captando materiam praeclaram obtulerunt, id qvod perspexerit, qvi rerum descriptionem pantomimicam cogitaverit in his, qvae leno secum agit:

Pró supreme Iúppiter,
Mínume miror qui ínsanire occípiunt ex iniúria.
Dómo me eripuit, uérberauit: me ínuito abdúxit meam:

*) Exempla praebent apud Terentium in Adelphis canticum Aeschini, apud Plautum Tyndari canticum in Captivis (v. f. 516—532).

Hómini misero plús quingentos cólaphos infregit mihi.
Ób malefacta haec tántidem emptam póstulat sibi trádier.
Vérum enim quando béne promeruit, fiat: suom ius póstulat.
Áge iam cupio, módo si argentum réddat. sed ego hoc háriolor:
Vbi me dixeró dare tanti, téstis faciet ílico,
Véndidisse mé, de argénto sómnium: „mox: crás redi“.
Íd quoque possum férre, modo si réddat, quamquam iniúriumst.
Vérum cogito íd quod res est: quándo eum quaestum occéperis,
Áccipiunda et mússitanda iniúria adulescéntiumst.
Séd nemo dabít: frustra egomet mécum has rationés puto.

Jam Aeschini canticum, qvod item largam copiam rerum motu corporis et gestu depingendarum dedit, si non est canticum, nullum circumspicias tota hac fabula. Neqve adjiciendum qvidqvam videtur de eo, qvod est Clitiphonis. Restat autem, qvod defensionis indigeat, illud Demeae senis. De qvo sic sentio: bene id qvidem cogitatione fingi posse ad tibias ab histrione pronuntiatum, sed etiam arti pantomimicae idoneum, et omnino in soliloqviis, qvae ita se habeant, de cantico potius qvam de altero genere cogitandum videri, nisi si haec altera explicatio certis qvibusdam rationibus commendetur. — Sed esse etiam extra cantici fines istiusmodi diverbia huic comoediae intexta locus ille praefationis ad credendum facile adducit. Qvalia in universum apud Terentium praecipue in principio actuum, post jam ante emissam vocem tibiarum, adhibita putanda sint. In Adelphis vero hos tantum locos ex conjectura indicatos volumus: breve et sollicitum colloqvium in act. 3 scen. 1, qvae scena canticum Getae antecedit atqve metri genere cum eo congruit, et Ctesiphonis Syriqve protervas argutias in act. 4 sc. 1.

Argumenta, de qvibus admonuimus, qvinqve canticorum eam habent „seriam gravitatem“ (vid. p. 31), ut cum iis vox musicae gravis, qvae „seriam comoediae dictionem“ comitata esse traditur (vid. p. 6), sed tibiis Sarranis, qvae in omnibus didascaliae exemplis huic comoediae tribuuntur, fuisse vel propter hujus fabulae rationem cum indicio illo de tibiarum gravis soni in comoediis usu comparatam putanda jam nunc videtur, omnino concinuerit. Neqve aliter judicari debet de cantu tibiarum ante novos actus audito. In primi priore scena Micio de filio adoptivo domum nondum a coena reverso admodum sollicitus est et sua ac fratris in filiis educandis consilia diversa enarrat, qvod idem argumentum ab eo in altera scena cum altercante fratre Demea tractatur. In secundo actu continentur initio Sannionis, e cujus domicilio tunc ipsum psaltria vi abducta est, clamores fidem popularium implo-

rantis et deinde scenae turbulentae hanc raptionem secutae cum canticis Sannionis et Ctesiphonis; in actu tertio ante Getae canticum tristis matris, qvae saluti filiae timet, et eam consolantis nutricis sermo ac postea qverimoniae et turbae variae. In qvarto qvidem seria et joca se excipiunt: ubi primo licentia Syri et Ctesiphonis prodit, mox autem hujus timor, indignatio Demeae, tum vero, praeterqvam qvae ludit semper Syrus et interdum Micio jocatur, seria in animis et factis omnium gravitas. Qvintus initium capit a cantico illo Demeae. Haud parva est vis ridiculi in hac fabula, non solum in actibus duobus ultimis, sed jam a principio, inest vero in rebus et personis depictis, qvales eas lector videt esse, non in hominum ipsorum mentibus aegritudine, ira, timore, temeritate, amore perturbatis, si a Syri animo intrepido atqve lascivo et ab aeqvo et facili Micionis senis discesseris. Sicut igitur cantica omnia minime jocosa sunt, sic etiam ceteroqvin tibias in rerum turbido statu graves sonos edidisse consentaneum videtur. At Sarranas cave tamen putes triste et lugubre aliqvid semper sonuisse. Qvas ad aestimandas praeclarum adjumentum offert didascalia ab Angelo Majo in codice Mediolanensi reperta et Ritschelii acumine (qvamqvam non de tibiarum sonis) illustrata Stichi Plautinae, qvam comoediam Marcipor Oppii modulatus est *tibiis Sarranis totam.* In cujus prima scena actus primi, in qva sorores desiderium suum maritorum jam triennium absentium expromunt (v. supra p. 26), gravitatem Sarranarum usurpari potuisse non est qvod post superiora verba nostra demonstretur. Sed qvomodo eaedem tibiae inter omnes actus sonum fundere gravem potuerint, qvomodo iisdem certissimum canticum Pinacii (v. f. 274—312) comitari, qvo deniqve modo in comissatione Sagarini et Stichi (act. 5 sc. 4, 5), ubi praesens tibicen pluries commemoratur, locum habere licuerit, non percipitur, nisi si reputemus, qvam bene nostris temporibus gravis sonus, qvem *bas* svecice dicimus, ad res laetas et ad maxime ridiculas, velut qvae dignitatem affectatam, gloriationem, magniloqventiam exhibent, qvadret. Id vero si recordatus sis, nihil hac soni gravitate accommodatius fuisse dixeris et incessui ac verbis Pinacii, laetissimum ob nuntium, cujus scientiam solus in pectore gerat, immani atqve coelum contingente superbia capti, et pompae illi comissantium. Ita omnis difficultas evanescit, neqve erit cur qvisqvam ad contrariam istam opinionem, Sarranas acuminis levitate insignes fuisse, refugiat. Qvae tibiae qvia in Donati de comoedia commentariolo sinistris adjunguntur nec vero plane eaedem dicuntur esse (v. supra p. 18), judicandus sum Sarranis sonos praecipue magis minusve graves recte ascribere, sed ita, ut copiosiores et diversarum modulationum capaciores qvam pares sinistrae, qvae, qvantum e Terentii fabulis perspicitur, omnino maestum et

triste sonabant, ac dissimillimis rerum conditionibus animorumqve motibus varie exprimendis idoneae Sarranae fuerint. Qvales si non fuissent, profecto nulli fabulae Plautinae atqve nulli comoediae toti aptae esse potuissent. Et sane nihil minus decuit, qvam ut maesta qvaedam tristitia musicae actibus Adelphorum praecineret. Verum nimii fuerunt homines docti in tibiarum scenicarum generibus sic sibi opponendis, qvasi nullum genus ipsum in se habuisset aliqvod subsidium ad qvid contrarii transeundi. Salmasius igitur non aliter severiora et laetiora in Adelphis cantu tibiarum conjungi potuisse neqve mutatos modos, qvos dicit Donatus, aliter intelligi posse putat, qvam ut affirmet „certo certius esse Adelphos Terentii actam esse Lydiis simul et Serranis, hoc est paribus dextris et sinistris" (ad Script. hist. Aug. p. 495). Cui in hac re, ut jam supra commemoravimus, Boeckhius, summus auctor verae sententiae de tibiarum dextrae et sinistrae sonis, non repugnat. Inter eos autem, qvi nuper didascalias Terentianas explicandas susceperunt, Wilmannsius, qvi opiniones Pseudodonati et Salmasii de sonis tibiarum amplectitur, duabus dextris, qvas graves cogitat, Adelphos esse actam credit, „pro canticorum natura", (de qvibus nihil affert singillatim), inter praefationes fabularum et libros Terentii dijudicandum esse censens (p. 47). Kohlius, qvi de tibiarum vi et differentia alioqvin auctoritate Boeckhii, nihil ipse addens argumenti idonei, contentus est, de Sarranis ducem deserit propter Adelphos, cui comoediae Sarranas adjudicat solas, eas vero pares dextras easdemqve acutas fuisse ac sonum „exsultantem et laetum" edidisse arbitratur (p. 35), ut ne qvaesivisse qvidem videatur, qvae essent et qvalia cantica. Dziatzkius deniqve omnino codicibus Terentii plus fidei qvam Donati verbis habendum illosqve de tibiis seqvendos existimat, sed, Sarranae qvales fuerint, in incerto relinqvit (p. 594 sqq.). Eqvidem, qvod attinet ad tibias Adelphorum, libris Terentianis fidem sine ulla dubitatione adjunxerim; qvid autem de erratis in praefationibus Donati et in ejusdem de comoedia libello commissis sentiendum sit, dicam aptiore loco ad Eunuchum.

II. Non minus, qvam in Adelphis, libri Terentii in Eunucho, dum inter se conspirant *), cum praefatione Donati de tibiarum genere discrepant. Nam illi fabulam *tibiis duabus dextris* actam esse auctores sunt, in hac vero scriptum est: *tibiis dextra et sinistra ob jocularia vel multa* **) *permixta gravitate*. Supra allata et explicata sunt, qvae de diverbiis et canticis in eadem praefatione leguntur.

*) Cftr. Geppertus l. c. p. 552 sqq.

**) Klotzius *vel multa* secundum editiones principem et Venetam anni 1485; vulgo *multa*.

Canticis investigandis hic qvoqve Wolffius satis bene praeiit, ut non jam nova reperire, sed ad reperta illustranda tamen nonnihil novi disputare atqve etiam qvoddam non recte agnitum exterminare liceat. Primum canticum agit Gnatho parasitus in act. 2:i sc. 2:ae v. 1—22 (v. f. 232—253) et deinde, post Parmenonis servi, qvi illum non animadversus audit, interjectum diverbium versus unius, in v. 24—33 (v. f. 255—264). Id, qvod interponit Parmeno versu integro: *Scítum hercle hominem! Hic hómines prorsum ex stúltis insanós facit,* cur pro modulato ad tibias diverbio habeatur, ratio singularis qvaedam et necessaria non apparet, sed exemplorum collatione aliorum id concludi debere videtur. Intercapedinem hoc brevi soliloqvio factam secuta certe est mutatio modorum ipsius cantici: hoc enim postqvam ante septenariis trochaicis processit, jam continuatur iambicis septenariis, aliqvanto, qvam illi sunt, alacrioribus et hilarioribus: qvibus parasitus magnam sibi in macello a venditoribus praestitam observantiam et novam sectam Gnathonicorum ibi a se conditam gloriatur, cum in superiore parte cantici, qvid stultus et intelligens differrent, exemplis declaravit. — Tum in act. 2:i sc. 3:ae v. 1—12 (v. f. 292—303) inest cum intertexto longiore Parmenonis diverbio canticum Chaereae, qvod in hunc numerum retulit, etsi dubitanter*), Wolffius. Breve hoc qvidem est, sed certum ideo canticum, qvod et positum est in proxima vicinia perlongi, qvod est Gnathonis, et in actu ex nostra sententia qvarto gemellum sibi habet alterum ejusdem Chaereae proprium, qvod item non amplius octo versibus comprehenditur; in qvo ut adolescens, voluptate amoris fruitus, gaudio triumphat, ita in hoc priore se praebet perdite incensum aspectu subito pulcherrimae virginis, qvam ex oculis amissam qvaerit. Concesso autem, qvod concedendum est, etiam hoc soliloqvium Chaereae canticum esse, dignum videtur, ad cujus rationem lectores attendant, insertum diverbium Parmenonis. Etenim in his:

CH. *O fáciem pulchram! Déleo omnis dehínc ex animo múlieres:*
Taedét cotidiánarum harum fórmarum. PA. *Ecce autem álterum!*
Néscio quid de amóre loquitur: o ínfortunatúm senem!
Hic uérost, qui si occéperit,
Ludúm iocumque dícet fuisse illum álterum,
Praeut húius rabies quaé dabit!

ultimum verbum Chaereae commiscetur elisione cum primo Parmenonis, et hujus diverbium ab iambicis octonariis in eam varietatem metri abit, ut haec

*) V. tabulam canticorum in extremo libro ejus adjectam; ubi etiam signum interrogationis apposuit indicato a se in prima scena Adelphorum cantico, de qvo supra diximus.

res cum illa altera ostendat huic qvoqve diverbio succinere tibias perrexisse, praesertim cum cantici tantum duo versus restent, ad qvos solos illae, si ante obmutuissent, ab integro canere vix potuerunt. Facile vero ad suspicandum est etiam cantici ipsius modos mutatos esse, ubi post diverbium dira exsecratio a desperante adolescentulo emittitur, reversis tamen iisdem octonariis iambicis.

Priusqvam in commemorandis canticis hujus comoediae longius progrediar, discedam parumper ad aliud, qvod tamen etiam ad illud pertinet. Initium actus 4:i non recte ponunt cum libris et Donati argumento ad versum fabulae 615. Ita enim referunt ad eundem actum 3:um et Chaereae veste eunuchi induti introitum in aedes Thaidis (post v. 493) et ejusdem, postqvam puellam oppressit, exitum in publicum (ad v. 545), intra qvod tempus, ut nunc actus descripti sunt, sine ulla intermissione versus qvinqvaginta pronuntiantur, dum in tantillum spatium conjiciuntur omnia, qvae in interiore domo ante exitum suum facta Chaerea narrat Antiphoni (v. 576 sqq.), ductum se esse custodem in conclave ad virginem, post decessionem Thaidis balneum puellae adornatum esse, hanc ad lavandum arcessitam isse, lavisse, redisse, tum in lecto collocatam, flabello ventulum ei faciente falso eunucho, obdormivisse, interea lavatum abiisse etiam ancillas seqve tandem solum cum dormiente puella relictum esse, qvaeqve seqvuntur reliqva. Ea omnia non aeqve fere brevi tempore facta, ac narrata, proponere potuit Terentius, cujus arte dignum neqve hic neqve alibi omnem temporis computandi curam adeo negligere fuit. Nam qvod ad Heautontimorumeni v. 168 sqq., 502 sqq., 557 sqq., 948 sqq., ad Andr. v. 901 sqq., ad Hecyr. v. 721 sqq. paulum temporis datum est ad intrandum in domum proximam et ad inde redeundum atqve ad homines e vicina domo evocandos, et qvod inter Andriae v. 467 et 481 Glycerio affuisse obstetrix *(temulenta et temeraria* v. 229) satis habet, inter Adelph. autem v. 586 et 713 Demea urbem perreptavit, haec aut suo qvidqve loco defendi et vel celeritate parata ac saepe impatientia hominum vel rursus gestus mora et ambulatione in scena opperientium satis explicari aut saltem facile ferri et praetermitti possunt *), neqve sunt comparanda cum dispositionis rerum hoc portento scriptori multum Plauti dissimili tributo, qvi hoc loco accurata narratione rem secuta omnem spectatoribus occasionem de

---

*) Modum excedit in negligentia hujusmodi rerum veteribus ascribenda Benfejus ad Heaut. V. 2. 1, et fugit eum relatio pronominis *harum* in Andr. v. 904, qvod ad superiorem qvandam longam orationem Pamphili extra scenam habitam se referre temere contendit. — Cftr. autem Bentlejus ad Heaut. V. 3. 12 et Hermannus l. c. p. 292.

longitudine temporis semet fallendi eripuisset. Intactum mendum reliqvit Fleckeisenus, qvi actibus recte distribuendis alia absurda sustulit. Sed hoc qvoqve vitium perfacile tollitur, si initium actus 4:i repetitur a v. 539. Ubi etiam regula adhiberi potest, qvam Donatus posuit in argumento Andriae: *Est igitur attente animadvertendum, ubi et qvando scena vacua sit ab omnibus personis: — — — ibi actum esse finitum debemus agnoscere.* (Cfr. p. 22 supra). Nam ad scenae superioris versum paenultimum Chremes, post ultimum Dorias et Pythias discedunt. Neqve erit, qvod cuiqvam displiceat brevitas actus 3:ii, cui sic versus modo supersunt 148, qvemadmodum Adelphorum secundo sunt 133 et Hecyrae eidem actui 83.

Redimus ad cantica. Nullum est in actu tertio. Seqvitur in qvarto illud, de qvo mentio jam facta est, Chaereae, qvod continetur hujus actus scenae 2:ae (adhuc appellatae 5:ae act. 3:ii) versibus 1—8 (v. f. 549—556). A trochaicis septenariis duobus orsum, mox in iambicos primum septenarios, deinde octonarios transiens, victoriam cantat tanta alacritate, ita refertum felicitate amatoria et gestui acerrimo opportunitatem offerens, ut, etsi breve est, minime ambiguum videatur, qvin sit canticum. Et dixit praeter Wolffium Benfejus. — Sed sicubi admodum breve canticum allatum est a Terentio, proxime aut antecessit aut seqvitur aliud, et sic hujus carminis brevitas nuntiat aliud qvoddam non longe abesse. Ideo qvoqve canticum existimandum id nobis videtur, qvod in act. 4:i sc. 3:a (vulgo 1:a), in v. f. 615—628, Wolffius non sine aliqva dubitatione notavit, Grysarus vero ob eam rem, qvod non est personae in fabula eminentis hoc soliloqvium Doriadis ancillae, canticum esse negat (p. 370). Supra monitum est contra legem illam a Grysaro propositam, qvod monendum erat, ac ne in hac qvidem comoedia canticum nisi unius est de tribus actoribus principibus *). Wolffius qvidem id dicit (p. 47) „obstare, qvod (nihil nisi) expositio esse videatur rei apud militem gestae“ Doriadis sermo: at vero id potius svadet, ut cantico Chaereae adjungatur et in eodem reponatur genere: namqve ut Chaerea in superiore scena cantico, qvid intra aedes Thaidis factum esset, spectatoribus praenuntiabat, donec singula accommodatius perseqvi colloqvio cum Antiphone inciperet, sic cantico ea, qvae eodem tempore ab alia parte extra scenam in coena militis acta erant, ancillae loqvacitatem spectatores certiores facientem poeta induxerat, qvi ad res, qvae in scena non aguntur, gratiore modo narrandas ter in Hecyra forma cantici, bis feminae tributi, usus est. Persvadent deniqve hoc

*) De his in praefatione Donatus ait: *In hac comoedia qvi personam Parmenonis actor sustinet, primas habet partes: secundae sunt Chaereae: tertiae ad Phaedriam spectant.*

esse canticum rationes, qvae Wolffium non fugerunt, metrum versibus trochaicis et iambicis mira varietate compositum, qvod conturbatum animum ancillae depingit, et „oratio vehementiorem gestum postulans“ trepidantis per scenam mulieris, cujus gestu qvomodo etiam ad homines, de qvibus verba fiunt, denotandos, qvi verbis saepe obscurius distingvuntur, opus fuerit, intelligi sane potest. — Canticorum numerum Wolffius auctum voluit qvinto qvodam, qvod nullum est. Nam sive metrum spectamus, qvod meros senarios iambicos exhibet, sive orationem sedato gradu incedentem et mentem loqventis maxime tranqvillam, neqve gaudio elatam neqve tristi ullo motu percitam, cujus eam ipsam tranqvillitatem poeta opposuit furori Pythiadis *), nihil magis a cantu alienum aut minus eam actionis vehementiam, qvae canticorum erat, desiderans inveniri possit, qvam soliloqvium Parmenonis in v. f. 923—940 (act. 5 sc. 4). Ab aliis qvibusdam hominum secum loqventium sermonibus rectissime Wolffius naturam cantici abjudicat. Cantica igitur sunt hujus fabulae qvattuor, eaqve satis concinne distributa, duo, qvae proxime inter se absunt, in actu secundo et item duo vicina in qvarto.

Paucis respondeatur roganti, si qvis erit, potiusne forsitan in his, ut etiam nobis visa sunt, canticis alterum, qvod nos agnovimus, soliloqvii ad tibias prolati genus lateat. Plane idem, qvod paulo ante (p. 39) de Sannionis in Adelphis cantico dictum est, de Doriadis respondemus: etenim ne mente qvidem comprehendi ulla potest ratio, qvare hujus ancillae hic sermo tibiarum amplo comitatu celebratus sit, nisi ea, ut locus daretur rerum repraesentationi pantomimicae, eiqve ad risum movendum hoc qvoqve loco peridoneae. Ceterum super canticis Eunuchi, qvalia in hac fabula „saepe“ et qvidem „mutatis modis exhibita“ esse praefatio docet, eadem, qvae de Aeschini et Demeae diximus p. 40, repetere jam sufficiat. Hoc tamen praeterea addimus: dum in cantico Gnathonis et in priore Chaereae hi tralaticio canticum agentium more tam surdos et caecos se praebent, ut neqve verba, qvae a praesentibus interponuntur, audiant neqve homines videant ante canticum ad finem perductum, posterius Chaereae non habet ullum diverbium interjectum, sed tali modo antecedentibus annexum est, ut hic locus non minorem caecitatem surditatemqve illam ostendat. Non tam ut id eluceat, qvam ut exemplum, sicut nobis qvidem videtur, haud dubium diverbii extra canticorum terminos ad tibias pronuntiati, nunc afferamus, versus fabulae 539—548 (scenam 1 act. 4) hic subjicimus:

---

*) Itaqve haec, ut primum eum aspicit, indignabunda exclamat: *Vide, ut otiosus it, si dis placet* (v. 919).

Heri áliquot adulescéntuli coímus in Piraéo,
In húnc diem ut de súmbolis essémus. Chaeream eí rei
Praefécimus: dati ánuli: locus, témpus constitútumst.
Praetériit tempus: quo in loco dictúmst, parati níl est.
Homo ípse nusquamst: néque scio quid dícam aut quid coniéctem.
Nunc mi hóc negoti céteri dedére, ut illum quaéram,
Idque ádeo uisam, sí domist. quis nam hínc ab Thaïde éxit?
Is ést an non est? ípsus est. quid hoc hóminis? quid hoc ornátist?
Quid illúd malist? nequeó satis mirári neque conícere:
Nisi, quídquid est, procul hínc lubet prius quíd sit sciscitári.

Verba sunt Antiphonis adolescentis. Ipsa multas ob causas canticum haberi non possunt, ut qvod is, cujus sunt, se ibi non solum esse jam inde a versu 7 scit, de mira ejus specie, qvem contuetur, loqvens, cum hic e contrario, etsi caute omnia circumspectat *), alterum non conspicatur, in gesticulando jam occupatus, canticum acturus. Sed hoc canticum orationem Antiphonis excipit, et tibiae actui e nostra explicatione novo praecinuerant, et ab Antiphone septenarii veloces atqve canori pronuntiati sunt. Ad hos igitur vocem tibiarum intermissam tacuisse non est verisimile. Ac brevitas illa cantici octo versuum etiam hinc declaratur: nimirum satis diu tamen tibiae sonuerunt. — Plura huic comoediae ad tibias modulata diverbia esse praefatio fabulae indicat, et verba mendosa: *Diverbia multa saepe pronuntiata sunt,* qvae sic correximus, ut *modulata* pro *multa* scribendum putarimus, non de iis diverbiis solis, qvae intra vel juxta cantica sunt, dicta esse videntur, qvia ante mentionem canticorum, qvae post fit, allata sunt, nisi etiam hic ordo verborum mendosus est. Sed etsi conjectari nonnihil potest de prima scena actuum 2 et 3 et de ultima actus 4, tamen manum jam, ut ajunt, de tabula!

Nunc de tibiis. Est hoc inter argumenta Boeckhii, qvibus dextras acute ac laete et sinistras graviter sonuisse disputat, qvod Eunuchus, comoedia maxime jocularis, cui codices Terentiani duas dextras attribuunt, maxime hilares tibias reqvisiverit (l. c. p. 168). Qvo nihil verius. Boeckhium Kohlius seqvitur et Donatum, cujus praefatio tibiis dextra et sinistra hanc fabulam actam esse pro certo affirmat, erroris accusat (p. 33 sq., 54 sq.). Wilmannsius, cui dextrae tibiae graves et sinistrae acutae, hilares, jocosae videntur, propterea non potuit facere, qvin de tibiis hujus comoediae Donato potius qvam didascaliae fidem tribueret (p. 44 sqq.). Dziatzkius e contrario libris

*) Hic versus cantici primus est:

Númquis hic est? némost. numquis hínc me sequitur? némo homost.

Terentii credi debere disserit, ab ipsis tibiis autem, qvas inter gravitatis et acuminis discrimen non statuit, nullum argumentum petit (p. 594 sqq.). Una est res, cujus ratione habita id, qvod codices Terentii de Eunuchi tibiis annotatum habent, mancum videatur. Etenim post illud *tibiis duabus dextris* deest in didascalia vox *tota,* qvae addita significat, ut ex titulis hujus generis, qvi supersunt, atqve etiam e verbis praefationum Donati satis intellectum est, fabulam eo, qvod nominatur, genere tibiarum solo modulatam fuisse *). At sine dubio excidit hoc ipsum additamentum usitatum, neqve nomen aliarum tibiarum, qvae praeter duas dextras adhibitae essent. Supplementum enim non continetur ullum in Donati „tibiis dextra et sinistra"; qvae, insolito modo ita appellatae, eaedem sunt, qvas veteres *impares* nuncupaverunt. Eunuchum tibiis duabus dextris totam actam putari neqve cantica vetant neqve reliqvae partes comoediae, modo in fabulis comicis vim contrariam illi, qvae in scripto Donati de comoedia dextris tibiis tributa est, earum fuisse judicemus. Primum canticum et qvartum ridicula sunt, et qvamqvam, qvae de Sarranis in Sticho Plauti usurpatis diximus, ea fidem facere videntur modos his in canticis duobus etiam ad eas tibias fieri potuisse, tamen nulla ratio est dubitare, num laetum et rebus jocularibus aptum dextrarum acumen in eadem convenerit. Qvi vero dubitationi locus erit in canticis altero et tertio? Qvorum huic, — qvod conjunctum est cum diverbio modulato, qvod praecedit, Antiphonis, — sane ad nullum aliud tibiarum genus, nisi qvod levitati et laetitiae maxime omnium accommodatum esset, modis semet dignis exsultare licebat, illud autem sagitta Amoris recens vulnerati adolescentuli non graviores curas aut justiores imprecationes proponit, qvam qvod semel visam puellam statim e conspectu amisisset. Ac si actuum principia et ceteras partes contemplamur, ad risum facta se omnia ostendunt: nusqvam in discrimine versatur humana felicitas: de meretricis amore donis inter se contendunt Phaedria, in qvo amor numqvam serio repudiatus cum virili contumacia certat, et miles ignavissimus: clamores tolluntur propter falsum eunuchum, sed ii ipsi ridendi. Sic sunt omnia; qvae longius perseqveremur singillatim, nisi supervacaneum id jure videretur. Ne multa, difficilius est perspectu, ubinam ea sit „gravi-

*) Ritschelius *(Parerg.* p. 265 sqq.) formam accusativi *totam*, qvam habet Stichi didascalia, et propter qvam ibi sine dubio recte supplevit *modulatus est*, veram esse putat etiam in Terentii fabularum titulis. Sed persvadet Dziatzkius (p. 592 sqq.) in his, in qvibus *modos fecit* scribi semper oporteat, novam sententiam, brevissime, ut fit in didascaliis, prolatam et olim, ut videtur, in nova linea scriptam, incipi post nomen ejus, qvi modos fecerat; ut in Eunuchi titulo, addito vocabulo qvod deest, legendum sit: *Modos fecit Flaccus Claudi. Tibiis* (Bembinus TIBIS) *duabus dextris tota* (i. e. acta est).

tas“, qva jocularia permixta putavit is, qvi apud Donatum tibias impares huic comoediae addixit, qvam errata ejus et hic et alibi non modo agnoscere, sed qvodam etiam modo interpretari.

Si necesse nobis esset credere Aelium Donatum ipsum qvarto seculo ea omnia ita scripsisse, qvae sunt de tibiis in ejus praefationibus et in ejusdem de comoedia commentariolo, auctoritas hujus scriptoris tantum in his rebus valere debere videretur, qvantum plerumqve valuit. Namqve etiam ultimis Romanae antiqvitatis temporibus qvin tibiae cum suis proprietatibus atqve differentiis in usu fuerint, nihil id dubitationis habet. Qvod cum ita sit, non mihi qvidem hoc assumpserim, ut contendam scriptorem, qvi illis temporibus multa de tibiis attulerit, diversitates earum principales ignorasse, qvamvis freqventer non modo in vita publica, sed etiam in privata Romanorum adhiberentur. Erratum autem de tibiis esse in scriptis nomen prae se ferentibus Donati e verbis ei tributis et supra saepius prolatis evincere jam eo argumento licet, qvod in illis verbis ea „gravitas“ (soni, qvi *bas* nominatur), qvae generatim ad „seriam comoediae dictionem“ et nominatim ad „seriam gravitatem“ fabularum Terentii affuisse dicitur, tibiis dextris, „id est“ — hoc enim additur — „Lydiis“ adjudicatur, Lydias vero voce acutissima usas esse certo demonstratum est (p. 15 sq.). Et hoc concesso illud seqvitur, de discrimine dextrarum et sinistrarum simul falso judicatum esse et contraria pro veris ducenda. Qvod si forte nunc commemoratio Lydiarum et in libello de comoedia, ubi sunt qvae eam non habeant libri MSS., et in praefatione Adelphorum aliena manu adjecta et expellenda videbitur: at tamen sani judicii posthac non erit verbis praefationum credere de tibiis Adelphorum et Eunuchi, spreto librorum Terentii omnium consensu, qvi si earum comoediarum tibias recte nominant, ex Eunucho clare elucet, qvales dextrae fuerint, et idcirco etiam, qvales e contrario sinistrae: illas in comoediis laetitiae et joculari licentiae aptas eamqve ob rem — nam apud Donatum hoc conjungitur — acutas fuisse, has vero contrarias. Sed, ut eo, unde egressa est oratio, revertatur, qvemadmodum in Donati commentariis ad versus Terentii saepe diversi scriptores facile dignoscuntur, qvi dissimili ratione eandem rem dijudicant, ita in praefationibus non omnia sunt Donati. Hujus in his verba de canticis et diverbiis nonnumqvam tam esse ab aliis mutata, ut novam vel potius nullam sententiam acceperint, in hac ipsa commentatione jam ostendisse mihi videor. Atqve omnino canticorum memoria in Donati opere vel prope oblitteratam vel tamqvam e longinqvo revocatam se praebet. Ut enim is, cujus sunt haec, qvalia nunc habentur, de Phormione in ejus fabulae praefatione: „totaqve diverbiis facetissimis et gestum desiderantibus scenicum et svavissi-

mis ornata canticis *fuit*", de iis, qvae qvondam fuissent nec jam homines nossent, locutus videtur, sic ea, qvae in commentariis ad locos, qvi cantica continent, annotata nunc leguntur, actionis acris et mimicae mentionem interdum facere solent (velut ad Andr. v. 183, Eunuch. v. 232 sqq. et 549, Adelph. v. 299), sed nullum ibidem verbum de cantico. Et ubi tamen semel in commentariis relicta mansit cantici vel monodiae nominatio (ad Hecyr. v. 816), annotatum est ad hujus cantici versum ultimum: „Hoc *eo tractu vocis* et ea aeqvanimitate *dicendum,* qvali" e. q. s., ut videatur, qvi id consilium dedit, recitationibus scholasticis potius qvam arti histrionali consulere voluisse, canticorum vero in scena agendorum rationis veteris scientiam nullam praebeat. Nec plus de diverbiis cantico insertis qvam de cantico norat, qvi ad interlocutionem cantici certissimi (ad Eunuch. v. 254) hanc stulte posuit annotatiunculam: „Mire Terentius longae orationi interloqvia qvaedam adhibet, ut fastidium prolixitatis evitet". Cum ita se habeant apud Donatum ea, qvae ad cantica attinent, nonne, qvae ad tibias, in eadem ratione esse possunt? Qvorum si qvid pugnat cum rebus evidenter aliunde exploratis, non debet his opponi Donati auctoritas, neqve id ipse sic dixisse, sed aliqvis eorum, qvos commentariis ejus recoqvendis operam dedisse videmus, censendus est. Cantica singula potius jam ipse Donatus saepe ignoravisse et de his carminibus deqve rationibus scenicis eo pertinentibus ita semper, ut de rebus a sui temporis usu alienis, locutus esse credi sane potest. Nam etiamsi fabulas comicorum palliatas seculo qvarto et qvinti initio agi nondum desitas esse testimonia exstant *), haec actio tamen mutata fuit, et canticorum tunc talis fere, qvalis ceterarum fabulae partium, fuisse videtur **). — Non fortuitis tantum erroribus a librariis perturbata, sed correctionibus de industria tentatis corrupta haec sunt, de qvibus nunc agetur; ubi etiam licet suspicari, qvae causa fuerit et ratio emendationum falsarum. Qvi enim illud de Eunucho sic scriptum reliqvit: „Acta est — — — modulante Flacco Claudii *tibiis dextra et sinistra ob jocularia vel multa permixta gravitate*", is dextras graviter, id qvod idem ad Adelphos indicavit, et sinistras contra acute et hilariter sonuisse se compertum, nescio unde, habere credidit: is igitur cum tibias duas dextras Eunucho tribui legisset, nec vero jocularis comoediae ratio judicium

*) V. ea in Friedlaenderi *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms*, II. p. 306 ed. 2. ann. 1.

**) V. supra p. 23 et ibi annot. 4. Cftr. vero etiam Wolffius p. 20 sq., ubi, verba Diomedis, qvae sunt in extrema parte capitis de poematibus p. 492 Keil., interpretans, comoediam hujus grammatici tempore „ad recitationem fere solam relapsam esse, ab omni cantu et pantomimica gesticulatione abalienatam", jure opinatur.

ejus fugere posset, confidenter verba mutavit; addiditqve explicationem, qva „gravitatem", qvae nulla est, aliqvam tamen atqve adeo multam huic comoediae esse, cui ideo duas dextras ascriptas opinabatur, facile concedens, propter jocularia etiam sinistra opus fuisse narrat. Et idem sine dubio homo ad Adelphos, sua de tibiis sententia ductus, qvam etiam hic explicatam voluit, verba haec scripsit: „Modulata est autem *tibiis dextris, id est Lydiis, ob seriam gravitatem,* qva fere in omnibus comoediis utitur hic poeta". Etenim, sive ille seriam gravitatem canticorum hujus fabulae ipse animadvertit, sive, ut propter verba ibidem seqventia credibilius est, a Donato jam commemoratam vidit, Sarranis eam exprimi non potuisse cum sibi persvasisset, iis tibiis dextras vel Lydias substituit. Restat dicere de his in Donati de comoedia scripto, in qvibus menda inesse Boeckhii ingenii acies intellexit: *Dextrae autem et Lydiae sua gravitate seriam comoediae dictionem pronuntiabant. Sinistrae et Serranae acuminis levitate jocum in comoedia ostendebant.* His etiam verbis ista praefationum ad Donatum auctorem referri visa sunt; at nihil minus concedendum est. Una cum praefationibus et commentariis Donati ad tempora recentiora pervenit hoc ejusdem qvod inscribi solet de comoedia (vel etiam de tragoedia et comoedia) fragmentum, idqve, nunc mutilum, totius operis Donati de Terentii fabulis prooemium fuit, ad qvod ideo lectores delegantur in praefatione sive argumento Adelphorum hoc loco (p. XVIII edit. Klotz.): „Protasis est turbulenta, epitasis clamosa, catastrophe lenis, *qvarum partium rationem diligentius in principio proposuimus, cum de comoedia qvaedam diceremus*". Locus indicatus hic est: „Protasis est primus actus initiumqve dramatis, qvo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi exspectationem tenendam. Epitasis est" e. q. s. *). Itaqve nullius est audaciae sic sentire, emendatorem eum sane audacissimum, qvi duos illos locos in praefationibus corrigere sibi visus est, simul tertium in eodem libro ita mutavisse, ut ea, qvae de sinistris et Sarranis dicta erant, ad dextras et Lydias, eaqve, qvae de his, ad illas traheret; qvam ipsam permutationem hoc loco factam esse vidit, sed negligentiae in excerpendo admissae assignavit neqve ullo modo cum duobus praefationum locis composuit Boeckhius **). Donati autem

*) His verbis inter se conjungi, uni auctori vindicandos, commentarios Donati et libellum de comoedia inscriptum vidit jam Schopenus in Museo Rhen. anni 1827, p. 155.

**) Dicit enim p. 166 ante libelli de comoedia verba a se prolata: *Gegen die andere Meinung des Salmasius, dass nämlich die tibia sinistra den Discant, die dextra den Bass spiele, oder jene höher, diese tiefer gehe, lassen sich sehr gegründete Einwendungen machen, da sie einzig auf dem Zeugnisse des vielfach verderbten und von Unwissenden interpolirten Donatus de tragoedia et comoedia beruht;* et post haec verba nihil addit prae-

et hic et alibi in iis, qvae ei tribuuntur, re vera ab initio omnia fuisse, qvae postea additionibus variisqve mutationibus adulterata sunt, cur negandum sit, non perspexerim. Ad eum igitur scriptorem et, qvantum fieri possit, ad verba principalia gravissimus locus revocandus sic videtur: *Agebantur autem tibiis paribus aut imparibus et dextris aut sinistris. Sinistrae et Sarranae sua gravitate seriam comoediae dictionem praenuntiabant *). Dextrae autem et Lydiae acuminis levitate jocum in comoedia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta fabula inscribebatur, mistim joci et gravitates denuntiabantur **).* Ceterum pravae istae trium locorum correctiones, primo, opinor, ut assolebat, modestius inter lineas vel in margine scriptae, qvomodo in novis exemplaribus verba Donati expellere iisqve succedere potuerint, nemo, qvi studia critica in litterarum antiqvarum monumentis exercuit, nescit. Qvis ille corrector et qvo tempore fuerit, ignoramus; tum vero eum vixisse, cum tibiarum veterum notitia qvaedam jam tantum apud doctos remaneret, et propterea fortasse Calliopii aeqvalem fuisse jure statuendum est ***).

III. Transgredimur ad Phormionem. In codice Bembino desunt hujus comoediae titulo, cujus mancae reliqviae supersunt, omnia de tibiis; Calliopiani *tibiis imparibus totam* actam narrant omnes, qvotqvot consulti sunt, exceptis tribus ****); in Donati praefatione haec sunt: *Haec acta est — — —*

---

ter illud: *Wie leicht konnten hier beym Excerpiren von einem Unkundigen die Worte vertauscht werden!*

*) Ita *(praenuntiabant*, non *pronuntiabant)* hic scribendum esse conjeci supra p. 30.

**) Imperfecto tempore verborum Donatus uti pergit, ubi non jam de musicis exercitationibus ante actionem fabulae institutis, sed de librorum editorum titulis, qvid de genere musicae olim, cum in ludis scenicis comoediae florerent, intelligentibus promiserint, loqvitur. In hoc nihil est, qvod offendat. Sed qvoniam Terentianarum fabularum tituli non illud confirmant, *dextra et sinistra actas inscribi* solitas esse fabulas imparibus actas tibiis, et illius Pseudodonati id est, ut supra ostendimus, qvod in praefatione Eunuchi haec comoedia *tibiis dextra et sinistra* acta dicitur, magnopere verendum est, ne ejusdem hominis manus aliqvam mutationem importaverit huic qvoqve parti; qvo loco tamen, si scriptum esset: *Ubi autem imparibus, id est dextra et sinistra, acta fabula inscribebatur* e. q. s., omnia incorrupta viderentur.

***) Si cui minus placuerit explicatio hic a nobis proposita, alia explicandi via et fortasse facilior se ostendet sic sentienti, forte primum ac sine voluntate verba a librario transposita esse in prooemio de comoedia scripto, deinde convenienter sententiae ibi ita ortae emendatorem aliqvem consulto et causa adjecta bis in praefationibus comoediarum ea mutavisse, qvae cum definitionibus Donati in principio operis allatis pugnare arbitraretur.

****) In uno legitur *tybiis parilibus;* duorum librarios auctoritas Donati commovisse videtur, ut scriberent *tibiis serranis imparibus;* in ceteris est *tibiis imparibus* vel *imparilibus*. Cftr. Geppertus l. c. p. 560—563.

modos faciente Flacco Claudii filio *) *tibiis Serranis, totaqve diverbiis facetissimis et gestum desiderantibus scenicum et svavissimis ornata canticis fuit.*

Circumspicientibus nobis, qvae essent cantica, primum eorum, qvod nec Wolffius nec alii commemorarunt, satis manifestum visum est. Continent id cum immixto diverbio versus fabulae 179—192 vel v. 1—15 scenae 2 actus 2 (ex actuum recta descriptione recentiore, antea sc. 4 act. 1). Agit hoc canticum Geta servus, qvi, cum necopinato herum reducem in portu conspexit, per scenam accurrit et interdum gradibus sustentis angorem et timorem enuntiat. Eum postqvam se proripientem Antipho vidit et sollicitus Phaedriae monstravit (v. 177 sq.), canticum incipit, qvod hic ponimus una cum versibus, qvi proxime seqvuntur, duobus.

GE. *Núllu's, Geta, ni iam áliquod tibi consílium celere réperies:*
Íta nunc inparátum subito tánta te inpendént mala:
Quae néque uti deuitém scio neque quó modo me inde éxtraham:
4. *Nam nón potest celári nostra diútius iam audácia.* **)
6. AN. *Quid nam ílle commotús uenit?*
GE. *Tum témporis mihi púnctum ad hanc rem est: érus adest.* AN. *Quid istúc malist?*
GE. *Quód quom audierit, quód eius remedium ínueniam iracúndiae?*
Lóquar? incendam: táceam? instigem: púrgem me? laterém lauem.
10. *Heú me miserum: quóm mihi paueo, tum Ántipho me excrúciat animi:*
Eíus me miseret, eí nunc timeo, is núnc me retinet: nam ábsque eo esset,
Récte ego mihi uidíssem et senis essem últus iracúndiam:
Áliquid conuasássem atque hinc me cónicerem protinam ín pedes.
AN. *Quam nam híc fugam aut furtúm parat?*
15. GE. *Sed ubi Ántiphonem réperiam? aut qua quaérere insistám uiam?*
PH. *Te nóminat.* AN. *Nesció quod magnum hoc núntio expectó malum.*
PH. *Ah, sánun es?* CE. *Domum íre pergam: ibi plúrimumst.*

---

*) Proximum verbum perperam apud Donatum additum esse constat. Atqve *Flaccum Claudi* non libertum, ut vulgo dicitur, sed servum Claudii fuisse perspexit Wilmannsius et demonstravit p. 35 sq.

**) Versum qvintum *(Quae si non astu próuidentur, me aút erum pessúm dabunt)*, qvi Andriae est versus 208, huc in libris transpositum exterminavit Fleckeisenus, cujus recensionem in versibus Terentii afferendis, ut ante dictum est, accuratissime seqvi constituimus.

Antipho et Phaedria, qvi stant in pulpito, verba Getae advenientis aut nihil audiunt (vid. v. 6 et 7) aut parum (v. 14 et 16); nam primo tantum gestum ejus vehementem interpretantur et postea imperfecto modo auribus verba excipiunt, qvae a principio spectatoribus clare sonuerint necesse est. Qvomodo illud fingi poterat verisimiliter? Primum sic, opinor: procul servus in magna scena tum currentem, tum subsistentem gestumqve agentem se ostendebat. Magnitudo autem scenae theatri Romani qvae fuerit jam Terentii temporibus, in hac ipsa parte hujus fabulae satis arguitur; nam Demipho senex, qvi paulo post, ad v. f. 215, in conspectum venit colloqventibus Getae et Antiphoni et Phaedriae ambulans *in ultima platea,* non ante in pulpitum ascendisse indicatur qvam ad v. 231 *). Jam porro qvo tandem modo cum satis magna veri specie adolescentes, dum Geta appropinqvat, ea, qvae spectatores auribus percipiebant, suis non accipientes induci potuerunt? Et qvomodo spectatores, ad qvos omnis sermo e proscenio emitti solebat, haec eadem verba ex ultima scena, si in ea dicta essent, exaudivissent? Non ibi sunt pronuntiata ab histrione, verum hujus loco, in gestu occupati, cantor ea ad tibicinis modos cecinit. Ita demum intelligitur non audire juvenes fingi potuisse, ad procul gesticulantem histrionem conversos, spectatoribus clare audientibus. Itaqve hoc est canticum. Cui simillimum illud est, qvod supra ex Adelphis, cujus fabulae primum est, attulimus, qvod dum se canere simulat servus e longinqvo adveniens, nihil satis audiunt Sostrata et Canthara: qvare id canticum esse jam novum testimonium accessit. Hoc autem in Phormione primum qvas etiam intextas habet diverbii partes, eas qvoqve ad tibias pronuntiatas esse satis evidens fit ad v. 7, intra qvem postqvam decantatus fuit nuntius terribilis: *erus adest!* et astiterat in horrenda timoris specie defixus Geta, vix tibiis conticescendi spatium datum est, versu nondum finito, priusqvam jam Antiphoni, gestus aspectu paventi, exclamandum esset: *qvid istuc malist?* Sed non satis liqvido dici potest, qvem ad locum canticum continuatum sit, qvod tamen non ultra versum 15 progressum est. Brevitas cantici autem hic qvoqve est indicio aliud mox seqvi. — Hoc qvidem Wolffius observavit, qvi in Phormione duo cantica reperit. Inest in act. 2:i sc. 3:ae (olim falso 1:ae) v. 1—16 (v. f. 231—246), qvi praeterea diverbium habent intermixtum; iiqve etiam versus hic afferendi sunt:

DE. *Ítane tandem uxórem duxit Ántipho iniussú meo?*
Néc meum imperium: ac mitto imperium: nón simultatém meam

*) Hunc senem canticum suum totum egisse in proscenio vel ex eo apparet, qvod dicta ejus omnia audiunt, qvi occultati auscultant, Geta et Phaedria.

Reueréri saltem! nón pudere! o fácinus audax, ó Geta
Monitór! GE. *Vix tandem.* DE. *Quid mihi dicent aút quam causam réperient?*
Demíror. PH. *Atqui réperiam: aliud cúra.* DE. *An hoc dicét mihi:*
„Inuítus feci, léx coëgit"? aúdio, fateór. GE. *Places.*
DE. *Verúm scientem, tácitum causam trádere aduorsáriis,*
Etiámne id lex coḗgit? PH. *Illud dúrum.* GE. *Ego expediám: sine.*
DE. *Incértumst quid agam, quía praeter spem atque íncredibile hoc mi óbtigit:*
Ita sum ínritatus, ánimum ut nequeam ad cógitandum instítuere.
Quam ob rem ómnis, quom secúndae res sunt máxume, tum máxume
Meditári secum opórtet, quo pacto ádvorsam aerumnám ferant.
Perícla, damna péregre rediens sémper secum cógitet
Aut fíli peccatum aút uxoris mórtem aut morbum fíliae,
Commúnia esse haec, néquid horum umqvam áccidat animó nouom:
Quidquíd praeter spem euéniat, omne id députare esse ín lucro.

Demiphonis oratio laesae majestatis et graviter commotae irae paternae imaginem exhibet cantico et pantomimica arte profecto dignam. Diverbium vero, ludificantis contumaciae et audacis consilii plenum, qvod iis locis allatum est, ubi tacitum parumper vel minantis vel meditabundi aspectum praebere irati et solliciti patris et heri fuerit, tam crebro est tam brevibus cantici partibus interpositum, ut pro cantico tamen hoc putare non possemus, nisi jam supra exstarent exempla verborum cantici et diverbii per elisionem vocalis conglutinatorum, sicut hic (v. 5), isqve proximus contextus et membratim concisum dicendi genus explicationem in eo haberent, qvod hujus qvoqve cantici diverbia ad tibiarum modos nusqvam interruptos haud dubie dicebantur *). — Nec minus ad tibias diverbium pronuntiatum est alterius cantici a Wolffio monstrati, qvod cum interlocutionibus continetur act. 4:i sc. 6:ae (olim non recte

*) Non sufficit explicatio Wolffii, gestu effectam retardationem et moram causam praetexentis, cujus ex. gr. hoc de cantico omnia verba afferamus: „Contra canticum esse dixerim orationem Demiphonis 2, 1, vss. 1—16, irascentis de filii nuptiis se inscio factis et secum deliberantis, quid filius sit incepturus. Interjiciuntur verba Getae et Phaedriae a sene non conspectorum, sed audientium, quae ipse loquitur. Plurimus hic necessarius erat gestus, ne breviora haec verba putes".

habitae act. 5:i sc. 1:ae) versibus 1—11 (v. f. 728—738). Verba Sophronae nutricis, qvibus saepius interloqvitur, dum mulier eum non videt, Chremes, num sint canticum, dubium videtur Grysaro (p. 370) propter eandem rationem, qvam in personarum fabulae inferiorum canticis bis supra attigimus *); hoc vero soliloqvium, gravissimo loco prolatum, ad nodum fabulae solvendum viam parat et omnibus numeris, qvi necessario sunt spectandi, justum canticum se ostendit: modo ut concedatur, id qvod lectores moniti haud repugnanter facient, tibias interlocutionum brevium, passim in mediis sententiis et in ultimi versus fine intextarum, non minus qvam ipsius cantici comites fuisse.

Brevitas hujus cantici, prope qvod nec ante nec post est aliud, in propinqvo saltem cantu tibiarum qvasi compensata est, qvoniam ultimam scenam actus 4:i hoc canticum introducit. Praeterea autem cantum inter actus secutum excepisse videtur diverbium ad tibias pronuntiandum. Digna enim tibiis haec erat, qvae a Demiphone sene, postqvam fraude a Geta circumventus argentum Phormioni expendit, expromitur sapientia, assentante Geta servo cum occulta irrisione:

DE. *Nostrápte culpa fácimus ut malós expediat ésse,*
Dum nímium dici nós bonos studémus et benígnos.
Ita fúgias ne praetér casam, quod áiunt. nonne id sát erat,
Accípere ab illo iniúriam? etiam argéntumst ultro objéctum,
Vt sít qui uiuat, dum áliud aliquid flágiti confíciat.
GE. *Planíssume.* DE. *Eis nunc praémiumst, qui récta praua fáciunt.*
GE. *Veríssume.* DE. *Vt stultíssume quidem illí rem gesserímus.*

Nec minus decebat ad tibias jam exterreri a Geta senem, donec ad mala praecavenda de scena abeat (v. 8—12); qvo facto servus secum haec deliberat, qvae non canticum, sed continuatum diverbium modulatum esse possunt:

Argéntum inuentúmst Phaédriae: de iúrgio silétur:
Prouísumst, ne in praeséntia haec hinc ábeat: quid nunc pórro?
Quid fíet? in eodém luto haesitás: uorsura sólues,
Geta: praésens quod fuerát malum in diem ábiit: plagae créscunt,
Nisi próspicis. nunc hínc domum ibo ac Phánium edocébo,
Nequíd uereatur Phórmionem aut huíus oratiónem.

*) De hujusce fabulae personis Donatus narrat: *Primas in ea partes, ut ipse poeta professus est* [prolog. v. 27], *tenet Phormio; secundas Geta, tertias Demipho; subinde ceteri, prout cujusqve actus ostendit.*

Itaqve versus hujus fabulae 766—783 ad tibicinis cantum pronuntiati videntur, praesertim cum in principio novi actus positi sint. — Qvid vero sentiendum est de eo loco, ubi Geta rursus in scenam e domo herili exiit, superfundente se ejus laetitia ob res heri minoris subito felices factas, praesentibus, sed ab eo non aspectis Antiphone ipso et Phormione? Cantici et interlocutionum rhythmica modulatione expressarum simillima omnia videntur in his:

GE. *Ó fortuna, o fórs fortuna, quántis commoditátibus,*
Quám subito meo ero Ántiphoni ope uóstra hunc onerastís diem!
AN. *Quíd nam hic sibi uolt?* GE. *nósque amicos eíus exonerastís metu!*
Séd ego nunc mihi césso, qui non úmerum hunc onero pállio
Átque hominem propero ínuenire, ut haéc quae contigerínt sciat.
AN. *Núm tu intellegis, híc quid narret?* PH. *Núm tu?* AN. *Nil.* PH. *Tantúndem ego.*

At tanta hujus loci est brevitas, ut de cantico non possit cogitari, nisi accedant, qvae rem firment. Illud continuo seqvitur:

GE. *Ád lenonem hinc íre pergam: ibi núnc sunt.* AN. *Heus, Geta.* GE. *Ém tibi.*
Núm mirum aut nouómst reuocari, cúrsum quom institerís? AN. *Geta.*
GE. *Pérgit hercle: númquam tu odio tuó me uinces.* AN. *Nón manes?*
GE. *Vápula.* AN. *Id quidem tíbi iam fiet, nísi resistis, uérbero.*
GE. *Fámiliariórem oportet ésse hunc: minitatúr malum.*

Audit Geta vocantem, sed retro respicere non curat, alienum aliqvem sibi currenti illudere putans *), subsistens tamen interdum, ut verba gestu exprimat. Sed tandem se convertit et herum procul visum (hunc vero eum seqventem cogitemus) agnoscit et advocat, et sibi occurrunt ambo; qvo pertinet hic versus:

GE. *Séd isne est quem quaero án non? ipsust: cóngredere actutúm.* AN. *Quid est?*

Longe in magna scena servum se proripuisse, anteqvam oculos retorqveret, intelligi debet; qvam ob rem de eo admonentes, qvod nuper ad canticum primum hujus fabulae notavimus, hoc qvoqve ejusdem Getae canticum esse contendimus. Nam qvod servus, dum currit, vocem alterius exaudit, id notioni

*) Benfejus annotavit ad h. l.: *Sclaven, welche eilig wohin liefen, durch Rufen zu vexiren scheint eine neckische Sitte der Griechischen Jugend gewesen zu seyn.*

cantici adversari non videtur, qvandoqvidem hos esse inanes clamores pueri de via alicujus sibi persvadet Geta et secum magis qvam cum altero, qvem non videt, loqvens stomachatur. Sed sejungimus versum proximum a cantico, cujus ita et interlocutionum fiunt versus 1—11 scen. 6:ae act. 5:i (v. f. 841—851). — Et breve tamen hoc canticum est. Verum totam, qvae deinde in ea scena affertur, narrationem Getae et verba audientium, qvoad solus relinqvitur Phormio, ad tibias pronuntiata esse suspicamur. Qvid, qvod etiam perpaulo ante idem canticum tibiae forsitan cecinerint in soliloqviis Antiphonis et Phormionis (v. f. 820—828 et 829—832), qvae non esse cantica, qvod actioni pantomimicae occasionem nullam dederunt, pro certo affirmamus. — Porro tibiarum cantus neqve abfuisse videtur a colloqvio Antiphonis et Phaedriae metri varietate et affectus vi conspicuo in v. f. 153—178 (act. 2:i scena 1, qvam prius canticum Getae subseqvitur), neqve a Phormionis et Getae diverbio in v. f. 315—347 (act. 3:ii sc. 1), qvo loco audacem et sollertem lentitudinem suam spectatoribus primum in conspectum dedit Phormio parasitus, persona partium primarum, cui nullum canticum est. Hoc breviter, ut de hujuscemodi diverbiis dicere soleo, indicavi, probaturos tamen esse non despero, qvi locos consideraverint. — Sed nondum reqviescere nos sinit canticorum in hac comoedia et diverbiorum modulatorum qvaestio. Utrius generis (an fortasse neutrius) hoc Antiphonis secum colloqventis esset (v. f. 465—470, act. 3:ii sc. 4:ae v. 1—6), difficile dictu nobis visum est:

Énim uero, Antiphó, multimodis cum ístoc animo es uítuperandus:
Ítane te hinc abísse et uitam tuám tutandam aliís dedisse!
Álios tuam rem crédidisti mágis quam tete animum áduorsuros?
Nam út ut erant alia, ílli certe, quaé nunc tibi domíst, consuleres,
Néquid propter tuám fidem decépta poteretúr mali:
Quoíus nunc miserae spés opesque súnt in te uno omnés sitae.

Geta, qvi ante in scena est, prospicit et versu superiore nuntiat introitum in scenam Antiphonis, sed sic fit saepe etiam, ubi canticum non agetur, neqve caecitas illa, qvam diximus, canticum agentis necessario tribuenda hic est Antiphoni, qvi cum Getam praesentem animadvertit, id ita declaratur (v. 471 sq.):

GE. *Et quídem, ere, nos iam dúdum hic te absentem íncusamus, qui ábieris.*
AN. *Te ipsúm quaerebam.*

At vero, qvemadmodum haec profecto in canticum qvadrant, sic fuit sane gestui pantomimico locus in verbis Antiphonis, qvae cum illis Ctesiphonis in

Adelphis (v. f. 254—259) comparanda atqve nomine cantici et ipsa appellanda videntur; hoc autem ita putamus, ut opinemur tibias, si non ad reliqvam partem hujus scenae brevioris, at pariter ad priorem seqventis, magna concitatione animorum insignem, sonos fudisse (ad v. f. 485—503, donec etiam alios adesse viderunt Phaedria et Dorio). — Jam hoc e superioribus efficitur, *diverbia* intelligenda videri *ad tibias modulata* in his verbis e Donati praefatione ante allatis: *totaqve diverbiis facetissimis et gestum desiderantibus scenicum et svavissimis ornata canticis fuit.*

Primum autem horum verborum *tota* errore mali correctoris a commemoratione tibiarum, qvae proxime antecedit, ad seqventia tractum est, qvemadmodum evenit et saepissime in didascaliis fabularum Terentii, ubi ideo legitur: *tota Graeca Menandru,* qvaeqve sunt cetera similia, et in Donati praefationibus Andriae et Hecyrae, qvarum haec habet: „Modulatus est eam Flaccus Claudius *tibiis paribus. Tota* Graeca est“ e. q. s., illa autem: „Modos fecit Flaccus Claudii filius *tibiis paribus* dextris et sinistris. Et est *tota* Graeca“ e. q. s. *Tota,* pro qva forma codices saepe in didascaliis *totam* offerunt, ad tibiarum mentionem proxime ante factam recte pertinere primus dixisse videtur Ritschelius l. c. p. 263 sqq. *), et hoc idem de verbis praefationis Phormionis fabulae suspicatus est, erratum ipsi Donato ascribens, Dziatzkius (p. 592 ann. 22). In hac praefatione superiora ejusdem sententiae illa sunt: *Haec acta est ludis Megalensibus, Lucio Cornelio Merula aedili curuli et L. Postumio Albino, agentibus L. Cassio Attilio et L. Ambivio, modos faciente Flacco Claudii tibiis Serranis, totaqve* e. q. s. Qvorum pars ea, de qva hic nobis qvaerendum est, in integrum sic restitui facillime potest: *Haec acta est ludis Megalensibus, — — — modos faciente Flacco Claudi, tibiis Sarranis tota* **). Verum enim vero is, qvem ita scripsisse arbitramur, et qvi in ludis et aedilibus ceterisqve, qvae deinceps commemorantur, rebus enumerandis tralaticium harum rerum in didascaliis ordinem secutus est, didascaliae exemplum, qvod seqveretur etiam in eo, qvod de tibiis dicit, ante oculos videtur habuisse; eamqve ob causam multo plus tribuendum est hoc loco testimonio de tibiis Sarranis, qvam in Adelphorum praefatione mentioni dextrarum vel Lydiarum et in Eunuchi tibiarum dextrae et sinistrae sive imparium, qvibus ambobus locis corrector aliqvis, nisi nos omnia fallunt, suo arbitratu annotationem inseruit, cui veriora verba cesserunt. Nam ut illic prava mutatio pluribus signis indicata est, ita hoc loco nullis. Neqve enim

*) Cftr. etiam Geppertus p. 561 et alibi atqve Dziatzkius p. 582 et 592 sqq.

**) Aliter Dziatzkius l. c.

hic reperitur addita explicatio, qvare, qvod fabulae attribuitur genus tibiarum, ad eam accommodatius habendum sit qvam aliud; et vero, si cui tamen idem corrector videatur non minus facile hoc loco alias tibias substituere potuisse, ipse imparibus, qvas libri Calliopiani nominant, silente de tibiis, ut ante relatum est, Bembino, Sarranas praeferens, haec opinio eo refellitur, qvod ex ejus correctoris sententia Sarranae „acuminis levitate jocum in comoedia ostendebant", easqve hanc ob causam ille non aptas Adelphorum canticis existimavit, ea vero cantica, qvae in Phormione sunt Getae et Demiphonis in actu secundo et Sostratae in qvarto, ne qvid nunc de ceteris moneamus, a ludo et joco tam longe abesse, qvam timorem et iram et maerorem, si aliqvid habuit judicii, viderit necesse est. Sive igitur is, etsi ei Sarranae in hac comoedia non minus, qvam in altera, displicere debuerunt, tamen nihil hoc loco mutavit et in eo sibi non constitit, sive correctionem ab eodem factam delevit dies (qvippe mutationi fidem hic non faciente ulla ratione subjecta), ab ejus manu in praefationem Phormionis profectum non videtur nomen Sarranarum. Testimonio de his tibiis fabulae hujus propriis nullum qvidem firmamentum accedit a duobus libris recognitionis Calliopianae, in qvos earum tibiarum mentionem e Donati codicibus translatam esse, recte, ut videtur, judicatum est (v. supra p. 52 annot. 5), sed nonnulla et non reticenda commendatio ex eo, qvod, dum ad unum omnes codices Calliopiani Phormionem ludis Romanis actam esse tradunt, libro Bembino, auctori omnium gravissimo*), inter pauca, qvae e didascalia in eo restant, ludis Megalensibus hanc comoediam actam memoranti, cum Donato convenit, qvare ex eodem fonte, unde haec res communiter petita, etiam id, qvod de tibiis apud Donatum est, derivatum esse potest. Jam si qvaeritur, utrae tibiae — impares, qvarum modis „mistim joci et gravitates" expressa esse narrantur, qvam rem exemplum in Heautontimorumeno mox ostendet, an Sarranae, qvae „sua gravitate seriam comoediae dictionem" proseqvebantur et ceteroqvin in iis, qvae de Adelphis disputavimus, satis descriptae sunt — canticis Phormionis potius congruisse videantur, qvo pacto his bene adhiberi tibiae impares potuerint, non perspicitur, Sarranas ubiqve consentaneas fuisse perspicuum est. Etenim primum canticum ab hilaritate et joco tam alienum est, ut nihil possit supra; neqve aliter alterum se habet ipsum, qvamqvam diverbia ei inserta cavillationis plena sunt, ut tamen qvivis debeat arbitrari non has tam breves interlocutiones aliis

*) Erratum Gepperti, qvi didascalias in codice Bembino neqve eadem manu, ac ceteras codicis partes, neqve iisdem litteris lapidariis, sed inclinatis minusculis scriptas esse ait (p. 572), correctum est post librum denuo inspectum ab aliis; cftr. Wilmannsius p. 3.

tibiis egnisse, qvam canticum, huic autem, ut incedit graviter atqve minaciter, idoneas, si ulli, Sarranas fuisse, non item alteras, qvae, qvandoqvidem in scena unus tibicen sive pythaules adesse solebat, qvi, qvo major vis soni esset, duas simul tibias inflabat, non ita videntur serium cum joco miscuisse, ut nunc illud solum cum sua gravitate sonaret, nunc hic per se separatim luderet, sed, qvod etiam ex Heautontimorumeno apparebit, medium inter duo contraria tenuisse, utriusqve significationis hoc modo participes; in eo autem cantico, qvod Sostratae est, qvestus et lamentatio hujus, qvae maesta et spe orbata progressa est, et in diverbiis interpositis admiratio dubitantis Chremetis, qvi nutricem filiae subito videt et tandem agnoscit, proponuntur, qvae omnia sunt minime jocosa, sed contra qvam maxime severa et seria. Ex iis vero canticis brevibus, qvorum unum tribuimus Antiphoni in actu tertio et alterum Getae in qvinto, illud solliciti et anxii animi est, hoc e contrario gaudio abundantis, et utriqve Sarranae convenerunt, qvibus non solum in tristibus rebus, verum etiam in laetis utebantur, ut declarant, qvae supra explicata sunt de harum tibiarum usu in Sticho Plautina, qva in comoedia cantico Pinacii servi, laetissimum nuntium apportantis, conspicua similitudo est cum brevi hoc Getae. Deniqve diverbia ad tibias modulata, qvae indicavimus, etiamsi tibiis imparibus apta, at etiam Sarranis fuisse dicenda sunt. De qva re deqve musica ceteroqvin in Phormione prolata nihil addimus, ne in qvaestione tali plura dicamus, qvam necesse est. Superiora sufficiant ad illud probandum, verisimilius videri, qvod de tibiis hujus fabulae Donatus habet, qvam qvod libri e Calliopii recognitione, qvae ad nonum seculum refertur, pendentes offerunt. Aliter, ac nos, viri docti omnes, qvorum sententiam vidimus, de hac re judicarunt, qvi didascaliae Calliopianae qvam Donato credere maluerunt propter varias ac diversas rationes, qvas enumerare non attinet *), sed communiter ob eam causam, qvod de canticis hujus comoediae aut nihil aut non satis accurate qvaesiverunt. — Unum restat, qvod breviter eloqvamur. Huic fabulae aliis temporibus alias tibias fuisse qvispiam conjectaverit, et eo magis qvod in narratione Donati atqve etiam in didascaliae reliqviis libri Bembini memoria duarum actionum fabulae, qvarum prior anno u. c. 593, posterior a. 613 fuit, continetur **). Nec vero adhuc hac via inter Donatum et Terentii codices de tibiis Phormionis dijudicare doctis placuit, idqve jure. Causae autem, cur ita sentiendum sit, generales — ne qvid sin-

*) Cftr. praeter editores Boeckhius p. 169, Benfejus p. 69, Wilmannsius p. 47, Dziatzkius p. 72, Kohlius p. 55.

**) Cftr. de his rebus Geppertus p. 561 et Dziatzkius p. 70—72.

gillatim de hac comoedia adjiciamus — prorsus eaedem sunt, qvarum ratione habita negandum est tibiarum genus Heautontimorumeno semel ab artifice musico datum postea mutatum esse; qvam ad fabulam jam transimus.

IV. Heautontimorumenos acta est, secundum codicem Bembinum, *primum tibiis imparibus, deinde duabus dextris;* eodemqve redeunt, qvae sunt in libris Calliopianis vetustioribus, *prima* pro *primum* habentibus, nullius vero momenti sunt majores varietates junioribus eorum per grammaticos et librarios illatae *). Donati praefationem et commentarios ad hanc fabulam non exstare notum est.

Cantica sunt duo, qvorum utrumqve a Wolffio notatum et extra omnem dubitationem, etsi hic qvoqve tacent editores et interpretes, ponendum est. Prius comprehenditur actus 1:i scena 3, qvae ultima est (perperam a plerisqve vocatur act. 2:i sc. 1), i. e. versibus fabulae 213—229, posterius act. 3:ii sc. 6 (qvae male **) plerumqve inscribitur IV. 2), h. e. vers. f. 668—678. Agit illud Clitipho adolescens, hoc Syrus, audax et astutus servus. Utrumqve versuum iambicorum octonariorum et sine interlocutionibus est. Plura non sunt cantica in hac *stataria* (prolog. v. 36). — Neqve nisi unum diverbium modulatum annotabimus, etiamsi, id qvod vix dubitamus, plura sint. Postqvam Clitipho canticum egit, qvo in extrema protasi statum rerum ad amorem hujus adolescentis attinentium exponi poeta voluit, et, cum juvenis abiisset, tibicen assis tibiis paulisper cecinit, novi actus hoc factum est initium (in v. f. 230—234):

CLIN. *Si míhi secundae rés de amore meo éssent, iam dudúm scio*
Venissent: sed uereór, ne mulier me ábsente hic corrúpta sit.
Concúrrunt multa eam opínionem quaé mihi animo exaúgeant:
Occásio, locus, aétas, mater quoíus sub inperióst mala,
Quoi níl iam praeter prétium dulcest. CLIT. *Clínia.* CLIN. *Ei miseró mihi.*

Breve canticum in verbis Cliniae inesse opinarer, nisi ea ratio, qva versus qvintus subito in exclamationes revenientis Clitiphonis et exterriti ab eo Cliniae abit, hanc opinionem refellere videretur. Sed sine tibiis, cum hae ipso temporis momento praegrediente sonuissent, hoc soliloqvium qverentis allatum esse non crediderim.

Omnis qvaestio reliqva erit de tibiis et de ratione inter eas et cantica

*) Qvibus modis hae omnes discrepantiae ortae sint, Geppertus p. 557 sq. monstrat.

**) Cftr. Kayserus l. c. p. 284.

ceterumqve argumentum intercedente. Fuerunt, qvi didascaliae de tibiis verba ita intelligenda putarint, ut fabulam, cum primum ageretur, tibiis imparibus, cum autem posteriore tempore, duabus dextris actam esse interpretati sint *). At plurimi **) verius judicarunt illas tibias in priore, has in posteriore parte comoediae adhibitas dici et ejusmodi immutationem contrariam ei rei fuisse, qvam in aliis didascaliis per *tota* vocabulum (vel *totam)* tibiarum nomini additum significari etiam supra vidimus. Unum hominem Flaccum Claudii huic fabulae atqve item ceteris omnibus Terentii, ad qvas exstat etiam testimonium Donati, modos musicos fecisse inter libros Terentianos convenit. Musicae autem genus ab artifice ad fabulam accommodatum ab eodem aut ab alio postea cum novo qvodam commutatum esse neqve per se verisimile neqve usqvam memoratum est, et tali opinione adversantur verba Donati in scripto de comoedia et Ciceronis Acad. II. 7. 20, qvae ante proposita sunt (p. 29). Itaqve hinc jam apparet veram eam esse, qvam seqvimur, interpretationem didascaliae Heautontimorumeni. Sed fac tamen Flaccum Claudii post fabulam primum actam modorum suorum poenituisse novasqve ei tibias rejectis veteribus substituere placuisse: suspicari certe posse debebamus, qvam ob causam pro tibiis imparibus, qvibus hanc comoediam totam modulatus esse credi sane posset, hilaritatem dextrarum postea ubiqve, qvamvis in principio reluctante argumento et qvidem etiam in cantico primi actus sollicitudine satis referto, allaturus fuisset. At enim dextras tibias intellexerunt graves, severas, tristes, qvi plurium actionum rationem in didascalia haberi dixerunt. Fateor; sed posteriori hujus comoediae parti alacritate exsultantes sonos tibiarum, priori autem severiores vel eos, qvibus, ut ait Donatus, „mistim joci et gravitates" exprimebantur, consentaneos fuisse nunc docebo. Impares enim tibiae aptissimae videntur, si respicitur actus primus, in qvo poenitentia et labores patris semet punientis exhibentur, mox autem inexspectatus domum reditus, patre insciente, Cliniae, filii desiderati, consolatori maesti parentis narratur, qvi deniqve actus finitur cantico Clitiphonis. Hoc cantico adolescens dissolutus et petulans iniqvitates in filios parentum ac nominatim sui in se patris contumacius qveritur et de molestia sibi e procacis et magnificae amicae postulationibus atqve pecuniae angustiis suis nata adjungit qvestus, qvi item animi habitum depingunt inter gravem aegritudinem et negligentem levitatem medium et ob eam causam congruentem tibiis imparibus. Ubi pri-

---

*) Sic Grysarus l. c. p. 377 sq. et Friedlaenderus in Antiqvitatibus Marqvardtii p. 542 sq., annot. 3466.

**) Praeter alios Ritschelius l. c. p. 263.

mus actus ad finem perductus est, alterum eaedem tibiae commode praeparaverunt, qvo in actu Cliniae de fide Antiphilae desperantis magnus, sed vanus pavor et ejusdem post adventum puellae laetitia inter omnia eminent. Verum hunc post actum, cum felices amantes modo convenerunt et in aedibus Chremetis coena jucunde in novum diem producitur, cum etiam in eo est ut afflictus senex Menedemus nato ei restituendo omni cura levetur, et ut Antiphila filia Chremetis esse reperiatur, cum sic ab hac parte jam in media fabula tamqvam e mari procelloso in portum tranqvillum navigatur, nonne tam laetas rerum mutationes inter actum alterum et tertium mutatis tibiis et duarum dextrarum dextris ominibus indicari decuit? Sed eaedem tibiae, cum semel successissent, in reliqva fabula, id qvod didascalia docet, canere perrexerunt. Et qvidni perrexerint? Qvae sunt ibi infortunia, qvorum causa inter actus retineri non potuerint? Videamus, qvomodo res se habeant Clitiphonis, Chremetis, Syri. Hujus postqvam doli jam antea prospero successu nexi sunt, nunc novi continenter nectuntur. Induxerat in domum heri amicam Clitiphonis Bacchidem, cujus is aspectu et sermone coram patre decepto fruitur, qva mox in aedes Menedemi traducta plenissime potitus esse narratur (act. 5 sc. 1 v. 29 sqq.). Haec lascivia, sicut ea, qvam in Eunucho item duae dextrae tibiae celebraverunt, haud dubie olim non visa est nisi perridicula. Intendit Syrus etiam fallacias, qvibus argentum Clitipho, qvod Bacchidi det, accipiat. Accipit a patre, qvi paulo post cognoscit se turpiter delusum neqve esse Bacchidem amicam Cliniae. Qvid seqvitur? Senex vehementer ille qvidem irascitur et minatur, qvemadmodum idem antea uxori, qvod dicto audiens sibi non fuisset, paulisper succenset; ac poenam subit justissimam brevi timore, ne expellatur et exheredetur, impudens filius; huic vero mox, deprecantibus pro eo matre et Menedemo, uxorem se ducturum promittenti datur venia, atqve ignoscitur etiam Syro non punito, qvi numqvam animum desponderat. Num igitur hae irae et minae, num hi timores, qvi tam cito evanescunt, efficere debuerunt, ne tibiae inter actus sonos laetos ederent? Intelligant ii, qvi dextras tibias tristes interpretantur, qvam valde erraverint, et qvantum eos consilium poetae et hujus comoediae ratio fefellerit *). Superest autem, ut de cantico posteriore loqvamur, qvod nuper Wilmannsius (p. 42) contra Boeckhium testari tibias dextras graviter, triste, maeste, non contra

*) Boeckhii de musica hujus fabulae verba (p. 168) afferre juvat: *Der Heautontimorumenos, der anfangs natürlich weniger lustig ist, hatte vornenherein die Musik imparium tibiarum, welche aus Discant und Bass zusammengesetzt ist; hernach wird er mit duabus dextris fortgesetzt. Also die glückliche Katastrophe sollte mit traurigern Tönen begleitet worden seyn, als der Anfang? Unmöglich! Dextrae müssen höhere Töne haben.*

acute et alacriter sonuisse opinatus est. Syrus, cum Antiphilam parentes filiam agnovissent, veretur, ne non diutius Bacchis pro amica Cliniae haberi possit, et secum deliberans hoc canticum agit:

Nisi me ánimus fallit, haúd multum a me áberit infortúnium:
Ita hác re in angustum óppido nunc meaé coguntur cópiae:
Nisi áliquid uideo, ne ésse amicam hanc gnáti resciscát senex.
Nam quód de argento spérem aut posse póstulem me fállere,
Nil ést: triumpho, sí licet me látere tecto abscédere.
Cruciór bolum mihi tántum ereptum tám desubito e faúcibus
Quid agam? aút quid comminíscar? ratio de íntegro ineundást mihi.
Nil tám difficilest, quín quaerendo inuéstigari póssiet.
Quid si hóc nunc sic incípiam? nil est. quíd, sic? tantundem égero.
At síc opinor. nón potest. immo óptume. eugae habeo óptumam.
Retraham hércle opinor ád me idem illud fúgitiuom argentúm tamen.

Wolffius qvidem Syrum „vehementer aestuantem ingemere et conqveri“ ait (p. 48), sed qvem etiam Wilmannsius „anxium et sollicitum loqvi“ dicit, satis is intrepidum se praebet. In ipsis primis verbis *(nisi me animus fallit)* a joculari licentia non abstinet, his verbis contumaciter iterando idem initium sermonis Sostratae, qvo nuntium de filia sibi reddita modo apportavit (vers. f. 614); et qvamqvam simul fatetur servus infortunium prope esse, nisi provideat, tamen de salute adeo non desperat, ut ipsa magnitudine periculi ad majora audenda excitetur et imminente discrimine ne possit qvidem a se impetrare, ut argentum illud fugitivum retrahere conari desistat. Non metu ille ac timore, sed audax consilium perseqvendi et novas rationes excogitandi studio cruciatur (v. 6 sqq.). Dixerit fortasse aliqvis rem in hoc cantico parumper ad impares tibias rediisse; sed qvam ob rem duae dextrae, qvae inter actus posteriores machinationibus Syri et earum eventis acuto sono praeludebant, non etiam hoc loco consultanti secum machinatori succinere bene potuerint, eo minus apparet, qvod paulo post videbimus in alio cantico deliberationes callidi servi ad easdem tibias astute habitas.

V. Ad A n d r i a m codex Bembinus, in qvo desunt omnia ab initio usqve ad v. f. 786, nullam didascaliam habet, neqve e libris Calliopianis habere ullus dicitur praeter unum Parisinum isqve recentiore manu e Donati praefatione adscriptam *). Itaqve solus auctor hic est Donatus; cujus illud ad qvaestionem nostram pertinet: *Modos fecit Flaccus Claudii filius tibiis*

*) Cftr. Geppertus p. 575 sq.

paribus dextris et sinistris. Et est tota Graeca cet. — — — *Diverbiis et*) canticis lepide distincta est.*

Hoc loco qvaerendum sit, num satis fidei in hac re operi Donati soli adjungi possit, cum id de cantu tibiarum in Adelphis et Eunucho tam falsa tradiderit. At in eodem opere e fonte vetusto verum de tibiis Phormionis haustum esse nobis visum est, neqve de Hecyrae qvidem „tibiis paribus" ei non convenit cum libro Bembino et cum Calliopio. Ac qvoniam omnis error illius, per qvem narratio Donati ad Adelphos et Eunuchum corrupta est, in hoc consistit, qvod opinio ejus hominis proprietates tibiarum dextrarum et sinistrarum inter se permutavit, illum corruptorem sicut ad Hecyrae „tibias pares", qvae verba separatim per se qvodqve eorum generum adhibitum significant (cfr. p. 19 supra), falsa ejus sententia de horum generum sonis, cum tamen fabulae utrumqve genus assignatum videret, ad mutandum non commovit, ita ob eandem causam id, qvod de Andriae tibiis paribus relatum erat, non magis debuit offendere. In praefatione autem hujus comoediae, qvae ordine prima omnium in libris est, ideo, ut jam ante diximus, Donatus addidisse videtur explicationem „dextris et sinistris", qvae, rem dilucide explanans, immerito nuper contra Donatum et ejus fidem turbas movit **). Nemo vero dubitaverit, qvin in universum ea, qvae de Andria fabula acta Donatus in praefatione attulit, auctorem habuerint didascaliam, in qva — id qvod de omnibus ejusmodi exemplis, ut paulo ante memoravimus, aliorum intelligentia vidit — ad tibias pertinens vox *tota* errato postea relata est ad mentionem fabulae poetae Graeci. Itaqve verba didascaliae, unde orta sunt Donati de

*) Pro hoc *et* male est in qvibusdam editionibus *aut*, qvamqvam elementis suis convenientius cum initio, unde incipit mendosum illud *auctenticis* (v. annot. Klotzii p. 3 vol. 1) vel *authenticis (diverbiis authenticis)*, qvod in omnibus libris scriptis esse dicit Lindenbruchius in editionis Westerhovianae, qvam Stallbaumius curavit, vol. 6 p. 199. Conjicio scribendum esse *diverbiis autem et canticis.*

**) Ea jam ante commemorata spectamus, qvae Dziatzkius non bene neqve probabiliter disserit p. 595—597, — (qvae Kohlius p. 59 et 55 de erroribus a Donato commissis somniavit, ne digna qvidem sunt, qvae respiciantur) —; qvamqvam ille Donato verba vitiosa *tibiis paribus dextris vel sinistris,* ex uno codice Parisino sumpta, tribuere mavult. Ceterum vir doctus in titulo, unde relatio Donati originem duxit, *Tibiis (tibis) paribus tota* fuisse jam dicit, et sic est etiam in editione Fleckeiseni. Qvod vero — ut reliqva Dziatzkii, qvae ante attigimus, hic omittamus — negat ita scribi potuisse de duarum dextrarum totidemqve sinistrarum vicissitudine, brevitatem significationis, cum aliarum partium horum titulorum breviloqventia congruentem, declarandam ante eodem loco (p. 19) suscepimus, neqve illud *tota* non recte se habet, additum ut indicaret nullas tibias praeter duo genera alternis adhibita huic comoediae esse.

modis musicis hujusce comoediae, haec fuerunt: *Modos fecit Flaccus Claudi. Tibiis paribus tota. (Graeca Menandru).*

In Andria duo cantica clarissimis indiciis perfacile agnoscuntur, nec plura esse putat Wolffius, eademqve Benfejus qvoqve et Grysarus commemorant. Eorum prius, metro valde vario iambico et trochaico conspicuum, qvod agit Pamphilus, juvenis curis amoris gravibus afflictus, in se continent act. 2:i sc. 4:ae (ut recte disposuit Fleckeisenus, — ex vetere ratione act. 1:i sc. 5:ae) versus 1—29 (v. f. 236—264), in qvibus est etiam diverbium qvater immixtum Mysidis ancillae, qvae cum qvartum secum loqvi coepit in posteriore parte versus 29, porro verba facere pergit, donec post v. 31 tandem auditam et visam juvenis affatur. De qvo cantico illud monendum est, post secundum et tertium diverbium modos ipsius cantici fortasse una cum argumento et metro mutatos esse, diverbia autem omnia cum membris cantici tam prope connexa esse (cfr. inprimis v. 16), ut etiam haec diverbia ad tibias modulata fuisse intelligatur; neqve prius illae siluisse videntur qvam ad v. 32. Alterum horum canticorum *), e versibus dactylicis, creticis, bacchiacis aliorumqve varietate compositum, qvod Charini adolescentis qverelas amatorias sine ulla interlocutione proponit, comprehenditur act. 4:i sc. 1:ae versibus 1—17 (v. f. 625—641). Jam qvia haec ambo cantica summam desperationem animi, maestitiam indignationemqve exprimunt, et modi musici eorum ab omni hilaritate longe abfuerint necesse est, idcirco tibiae pares sinistrae utriqve convenerunt. Verum nulli igitur hujus fabulae cantico pares dextrae, nisi numerus canticorum major fuit. Qvae plura esse significat Donatus, si qvid momenti ejus voci tribuitur, hanc comoediam „diverbiis et canticis lepide *distinctam*“ dicentis. Atqve insuper unum hujus generis carmen, vividis octonariis iambicis constans, verba Davi acriter incitato animo secum consultantis in act. 2:i sc. 2:ae (vulgo act. 1:i sc. 3:ae) v. 1—9 (v. f. 206—214), animadvertit Grysarus (p. 369) et jam ante eum Benfejus (ad locum Terentii). Recte agnitum est; sed ne hoc qvidem canticum — de qvo commentarius Donati: „Hic brevis et comica deliberatio est, magna exspectatione populum rerum imminentium commotura, metu et cura aestuantis Davi consideratione proposita“ — eam habet vim ridiculi, ne dicam eam hilaritatem, ut, solum per se spectatum, tibiis dextris satis respondisse dicendum sit. Est etiam brevius, mox transiens in sermonem cantui minime aptum, qvem pedestribus senariis Davus secum perseqvitur (v. 215—227). Itaqve vere mihi videor sic sentire, hoc brevi cantico continuari aliud ejusdem Davi, qvi, cum

*) In hoc Grysarus triplicis modorum varietatis locos agnovit et signavit p. 374 sq.

primum ex aedibus exiit domini, qvem foris astantem non conspicit, metro concitato et variato, ut cantico accommodatum sit, sensa animi enuntiat, interloqvente semel — ut apparet, ad tibias — Simone. Versus huc pertinentes (4—12 sc. 1 act. 2, ante correctionem Fleckeiseni sc. 2 act. 1, — v. f. 175—183) hi sunt:

DA. *Mirábar, hoc si síc abiret: ét eri semper lénitas*
Verébar, quorsum euáderet:
Qui póstquam audierat, nón datum iri fílio uxorém suo,
Númquam quoiquam nóstrum uerbum fécit neque id aegré tulit.
SI. *Át nunc faciet, néque, ut opinor, síne tuo magnó malo.*
DA. *Id uóluit, nos sic néc opinantis dúci falso gaúdio,*
Sperántis iam amotó metu, interea óscitantis ópprimi,
Vt ne ésset spatium cógitandi ad dísturbandas núptias:
Astúte! SI. *Carnuféx quae loquitur?* DA. *Érus est, neque prouíderam.*

In *astute,* qvam exclamationem „et gestu et vultu servili et cum agitatione capitis“ prolatam esse Donatus narrat, clarissimo cum sono tibias conticuisse et reliqva ejusdem versus sine tibiis pronuntiata esse intelligi potest. Hi versus, qvibus Davus, servus versutus et callidus, secundas, ut Donatus dicit, in fabula partes tenens, primas tenente Simone, tertias Chremete, primum „insinuatur spectatoribus, multa gesturus“ (verba sunt Donati), pauciores tamen viderentur, qvam qvos canticum esse putaremus, nisi post colloqvium Simonis et Davi facetum nec ita longum a servo, solo relicto, continuaretur. Nunc vero qvi considerat actum secundum distinctum sic esse: versus 172—174 diverbium, 175—183 canticum cum diverbio, 183—205 diverbium, 206—214 canticum, 215—235 diverbium, 236—266 canticum cum diverbio, 267—300 diverbium, recordari debet illud Donati de hac comoedia: „diverbiis et canticis lepide distincta est“. Jam qvaerimus: cum primo in scenam introitu et cum primis meditationibus veteratoris audacis, qvi dolos in hac fabula componit, nonne acute sonans alacritas tibiarum dextrarum congruisse videatur. Congruit sane, neqve cum eo tantum soliloqvio, qvod attulimus, qvo astutum senem haud levior astutia velut ad certamen provocat, verum etiam cum hoc altero servi, firmiter resistere decernentis neqve sibi diffidentis:

Enim uéro, Daue, nil locist segnítiae neque socórdiae,
Quantum íntellexi módo senis senténtiam de núptiis:

et qvae sunt reliqva. Atqve his rebus cum iis, qvas ex Heautontimorumeno protulimus, cujus fabulae fallaciarum architecto Syro summa cum Davo simili-

tudo est, comparatis omnino videre licet moris fuisse, ut consiliis callidis et impavidis servorum, unde magnam partem vis comica fabularum pependit, tibiae pares dextrae comites darentur. — Cantica adhuc enumerata nobis qvidem videntur nihil habere dubitationis. Minus fortasse certa qvaedam alia lectoribus videbuntur. Qvo pertinet hoc initium scenae 2 actus 3 (v. f. 338 sqq.):

DA. *Dí boni, boní quid porto! séd ubi inueniam Pámphilum,*
Vt metum in quo núnc est adimam atque éxpleam animum gaúdio?
CH. *Laétus est nesció quid.* PA. *Nil est: nón dum haec resciuít mala.*
DA. *Quem égo nunc credo, sí iam audierit síbi paratas núptias,*
CH. *Aúdin tu illum?* DA. *tóto me oppido éxanimatum quaérere.*
Séd ubi quaeram aut quó nunc primum inténdam? CH. *Cessas ádloqui?*
DA. *Hábeo.* PA. *Daue, adés, resiste.* DA. *Quís homost, qui me . .? o Pámphile,*
Te ípsum quaero. eugaé Charine: ambo ópportune: uós uolo.

Davus, domum recurrens, se jam omni molestia animum Pamphili liberare posse nuntiat, ille autem, etsi procul advenientem jam ante vidit (cfr. v. 335), verba ejus exaudire non magis potest, qvam Charinus, dum hic laeti qvid evenisse modo e gestu servi conjectat (v. 340); ac tum demum, cum propius Davus venit, — cujus orationi ut in media sententia sermo alienus interjiciatur, eo fit, qvod servus nunc cursum perseqvitur, nunc subsistit et verba facit vel potius loqventem gestu agit, — se aliqvid audire significat Charinus (v. 342). Haec simillima sunt eorum, qvae supra (p. 54 et 57) in canticis primis Phormionis (v. f. 179—192) et Adelphorum (v. f. 299—319) et in qvinto Phormionis (v. f. 841—851) indicavimus, in qvibus cantici signa actionis genere expressa cernerentur. Atqve illa argumentatio hoc loco idem valet; sed tamen summa eorum, qvae secum agit Davus, brevitas obstare videretur, qvominus ea pro cantico haberentur, praesertim cum admodum vicinum in eodem actu tertio aliud canticum non sit, nisi hujus brevitatis aliam qvandam rationem, qvalem etiam in superioribus agnovimus, eadem scena, ut putamus, redderet. Fuerit enim — sic opinamur — canticum versuum perpaucorum, modo ne his tantum versibus ejus cantus tibiarum ea in parte fabulae affuerit. Ac minime absurdum est conjicere tibias etiam cecinisse per reliqvam partem hujus scenae, in qva colloqvium duorum adolescentium et servi, qvod paucos cantici versus seqvitur, incitata animorum alacritate et vi mimica sermonis ab alia persona ad aliam post breviter dicta saepe trans-

euntis adeo excellit *), ut actionem desideraverit maxime agitatam, cui tibiae apte intervenerint. Et, qvod simul observetur, in scena superiore, qvae prima ejus actus est et propterea tibiarum cantum, si non intra se, at proxime tamen ante se habuit, eidem metro e trochaicis septenariis constanti iambicorum trochaicorumqve versuum mixta varietas praecedit et concitatus sermo est. Harum igitur rerum ratione habita canticum breve cum insertis diverbiis modulatis in sex illis versibus scen. 2:ae act. 3:ii, qvi sunt totius fabulae 338—343, contineri judicaverim. — Cui cantico atqve item toti eidem scenae ut profecto tibiarum parium dextrarum alacritas, praesertim mutatis interdum modis variata, ita tristis sinistrarum gravitas iis convenit canticis, qvae in ultima ejusdem actus parte esse putaverim. Pamphilus initio scenae postremae intrat desperatione rerum suarum captus et ira in Davum, cujus consilium secutus invisas sibi nuptias non prohibuerit, verum accelerarit, et secum qveritur, minatur deliberatqve, dum Davum qvaerit, qvi, sibi timens et se occultans, verbis Pamphili dolore interruptis sua ter interponit, donec in oculos adolescentis incurrit. Sunt haec qvoqve cantici et cum cantico mixti diverbii modulati persimilia, atqve talis comoediae pars omnibus numeris justa videntur, sive motus animorum graviores et gestus eam, qvam fuisse apparet, vehementiam, sive metrum horum novem versuum, qvod e trochaicis octonariis et septenario et iambicis octonariis compositum est, spectamus. Hunc locum (versus f. 607—615) proxime antegreditur scena, in qva Davus, abitu Simonis solus factus, inde ab exclamatione *Nullus sum,* qvae abeuntis heri in eodem versu verba excipit, qvantum se astutiae, qvae tam male ceciderit, nunc poeniteat, ita confitetur:

Núllus sum!
Quid caúsaest, quin hinc ín pistrinum récta proficiscár uia?
Nil ést preci locí relictum: iám perturbavi ómnia.
Erúm fefelli: in núptias coniéci erilem fílium;
Feci hódie ut fierent, ínsperante hoc átque inuito Pámphilo.
Hem astútias: quod sí quiessem, nil euenissét mali.

Qvos versus conseqvuntur duo, in qvibus se Pamphilum venientem videre et timere Davus dicit, qvi qvidem, adventum novae personae nuntiantes, extra fines cantici, qvale tantum is, qvi solus secum esse sibi videtur, peragit, ponendi sunt. In illis vero paucis versibus scenae paenultimae actus 3:ii, qvi totius fabulae sunt versus 599 (a parte extrema) —604, canticum, qvamvis

*) Benfejus ad hanc scenam annotavit: *Diese Scene ist fast ganz für gute Mimen eingelegt.*

sit breve, esse opinamur; qvo ut infelix exitus fallaciae adhuc a Davo structae agnoscitur, ita primo versu qvodammodo respicitur ad extrema ejus cantici, qvod ante Davus in actu 2:o egit, qvae verba e recognitione Fleckeiseni haec sunt:

Si sénserit aut si quam lubitum fúerit causam céperit,
Quo iúre quaque iniúria praecípitem in pistrinúm dabit!

Wolffius utriusqve in fine 3:ii actus cantici mentionem facit, sed ut haec soliloqvia, qvod justo pauciorum versuum sint, cantica esse neget (p. 47). Sed aut in multis erravimus, aut saepe apud Terentium canticorum brevitas propinqvitate aliorum ejusmodi carminum suppletur; et propterea hoc loco duo arctis finibus circumscripta, modo duobus autem versibus sejuncta, hac vicinitate sustentantur, praeterqvam qvod in primo initio actus 4:i post novem versus seqventis illud, de qvo ante diximus, positum est canticum Charini. Si qvis igitur viderit esse in v. f. 599—604 canticum, in v. 605 et 606 diverbium, in v. 607—615 canticum cum diverbio modulato, in v. 616—624 diverbium, deniqve in v. 625—641 canticum, idem si praeterea meminerit, et qvae de scena 2:a actus 3:ii supra dicta sunt, et qvae de actu 2:o explicavimus, sic demum plenius cognoverit, qvid sibi velit illud Donati, hanc esse fabulam *diverbiis et canticis lepide distinctam.* Qvamqvam ne sic qvidem rem totam perspexerit. Nam verisimile est, etsi plura non sunt cantica, plura esse in hac comoedia diverbia, qvae ad tibias modulata fuerint; et esse sane potest, ut Donatus etiam in hac praefatione *diverbia* dixerit non ea sententia generali, in qvam accepimus, sed singillatim talia, qvae rhythmica modulatione ad tibias pronuntiata sint. Qvalia inprimis in actu qvinto, cui non est canticum, qvo majore cum pompa exitus fabulae adduceretur, adhibita esse proclive suspicatu est. Sed molesta et odiosa in rebus incertis qvaestione supersedemus *). — Contra post haec dijudicare non est difficile, utrae tibiae, pares dextrae an sinistrae, inter actus cecinerint. In primo actu nihil continetur triste, sed sermo subtilis et perelegans Simonis et Sosiae, qvorum huic ille rerum statum enarrat et callidum suum inventum proponit. Hic igitur

*) Verum tamen in act. 3:ii ea scena, qvae numeranda est 8:a, (in versibus fabulae 481—488), diverbium hujuscemodi arguit varietas metri, in qvo qvattuor tetrametri bacchiaci praeter morem insunt. In lucem modo editum esse puerum Pamphilo tibiae laetae avo invitissimo et nuntium respuenti cecinerunt. Brevi autem Lesbiae commorationi apud puerperam, de qva re v. supra p. 44, paulo majus temporis spatium conciliatur, si putemus, manentibus, ut manent, in scena Simone et Davo (ne actus finitus videretur), tibias jam ante exitum Lesbiae canere coepisse.

actus pares dextras post se habuisse videtur, idqve hac re confirmatur, qvod in secundo, cujus in priore parte astutiae continuantur, Davus post duos versus ad canticum primum agendum aggreditur, cui cantico tibiae dextrae, id qvod ostendimus, comitatae sunt. In eo autem actu postqvam sinistrae primum auditae sunt in cantico Pamphili, alteris tibiis, actu finito, loco non cesserunt, qvoniam hoc inter canticum et finem actus nihil intervenit praeter colloqvium pertriste Pamphili et Mysidis, novusqve actus a sermone non minus sollicito Charini Byrriaeqve et Pamphili incipit. Tum vero inde ab initio scenae 2:ae act. 3:ii pares dextrae redierunt, qvae eaedem convenerunt ad v. f. 481—488, de qvibus vide annot. proxime superiorem. Rursus autem cum sinistras cantica Davi et Pamphili prope finem ejus actus comites habuissent, eas tibias ante act. 4:um, cujus initium Charini canticum est, locum occupatum obtinuisse nemo non concedet. Sed post ultimam scenam actus paenultimi, in qva adventus Critonis felicem rerum omnium finem praenuntiat, pares dextras actui 5:o, ubi catastropha laetae comoediae paulatim explicatur, praelusisse consentaneum atqve certum est. Haec ita fuisse nemini accuratius rem reputanti negandum erit; atqve ea vicissitudine tibiarum satis superqve illud illustratur, qvod didascalia habuit: *Tibiis paribus* (dextris et sinistris) *tota.*

VI. Hecyra, ut jam ante commemoravimus, acta est item *tibiis paribus tota,* idqve et libri Bembini testimonio et Calliopianorum codicum, aliqvando tamen plus minusve aberrantium, indiciis ad hoc idem omnibus aperte revocandis et Donati verbis in *tota* ita, ut Bembini libri, corrigendis et correctis *), qvare jam nihil in hoc est ambigui aut incerti. Apud Donatum etiam illud legimus: *Cantica et diverbia summo in hac favore suscepta sunt.*

In hac comoedia id canticum est, qvod unum omnium in Donati commentariis nominatim indicatur. Restat enim haec annotatio grammatici ad v. f. 816: *Reliqva pars argumenti per μονῳδίαν narratur.* Hoc propterea haud dubium canticum, ex iambicis septenariis compositum, qvod agit Bacchis, complectuntur versus fabulae 816—840 (actus 5:i scena 3:a). Aliud praeterea Wolffius animadvertit, qvod inest in act. 3:ii sc. 4:ae (qvae vulgo 3:a inscribitur) v. 1—48 (v. f. 361—408), qvi sunt trochaici septenarii. Ad rem probandam nihil ille dicit (p. 49), nisi satis longum id qvidem soliloqvium esse, ut non in eo nimia brevitas offendat, qvemadmodum in aliis qvibusdam meditationibus hominum in hac fabula secum colloqventium, qvas vel ob eam

---

*) Ea verba vide supra p. 59. Ceterum cftr. Geppertus p. 563—566 et Dziatzkius p. 576 sq.

vel ob aliam causam cantica esse negat. Sed comparatio hujus cantici et illius, de qvo testatur Donatus, similitudinem qvandam intercedere ostendit, qva hoc qvoqve certissimum canticum esse appareat. Illud Bacchidis vix qvisqvam, credo, canticum, si nihil monuisset Donatus, sine qvadam dubitatione nunc dixisset: nam praeter gaudii ob beneficia sua Bacchidi percepti carmine sane dignam testificationem versatur praecipue in rerum narratione ad nodum fabulae solvendum pertinentium, qvas ita spectatores canendo doceri poetae placuit. Atqve eum saepius in hac comoedia canticum ad ea narranda, qvae non in scena aguntur, sed permagni ad rerum fabulae processum momenti sunt, adhibuisse alter locus demonstrat: ubi Pamphilus neqvaqvam, ut ait Wolffius, „in deliberationem venit, retineat an repudiet uxorem“, sed de repudianda jam secum ante constituto perlongam et lamentabilem, sed pantomimicae actioni aptam eorum profert enarrationem, qvae in domo Phidippi viderat et audiverat. Haec duo cantica fabulae Wolffius adjudicat. Et qvoniam ambo longa sunt et satis amplam praebuerunt occasionem artis pantomimicae illius in canticis agendis, qvam tanti homines faciebant, expromendae, ille numerus, qvi etiam est canticorum Heautontimorumeni, sufficere videri possit. Sed tertium nostra sententia iis accedit. Hoc bipartitum est, sicut primum canticum Andriae, et prior pars comprehenditur versibus totius fabulae 516—520, qvi trochaici sunt — tres octonarii, unus septenarius, item unus dimeter catalecticus —, posterior autem, postqvam colloqvium intervenit, versibus 566—576, qvi sunt octonarii iambici. Verba sunt Myrrinae matronae, cujus orationem sibi supplicis Pamphilus in cantico suo nuper in actu superiore attulit. Matrona hoc loco eadem arcana, qvae ab ea Pamphilo commissa hujus canticum spectatoribus prodidit, coram his attingit atqve longius perseqvitur, dum de anulo hic mentio primum fit, qvo postea in digito Bacchidis recognito omnes totius fabulae difficultates expeditae erunt. Qvas ita solutas esse narrat in suo cantico Bacchis, neqve omnium fabulae personarum plures qvam tres — Bacchis, Myrrina, Pamphilus — verum rei statum comperiunt: ceterae omnes de eo celantur consulto et celabuntur. Sic cum poeta argumentum hujus comoediae instituerit, statuit etiam iis scenis, qvibus occulta paulatim aperiuntur, qvo major earum scenarum verbis vis et spectatorum attentio conciliarentur, formam tribuere cantici. Atqvi ex his scenis, qvibus ista arcana enuntiantur, sunt etiam duae breves, qvas indicavimus, in qvibus secum agit sola Myrrina, et qvidem iis agit verbis, ut nullae notae necessariae cantici huic desint. Hae duae scenae recte inscribendae sunt 1 et 3 actus 4:i, qvi actus a priore incipit secundum libros scriptos et argumentum Donati, qvi hoc loco Varronem auctorem laudat. Sed tamen eas, et

qvod interjectum est colloqvium, Dacieria et post eam Bothius et alii qvidam *), in qvibus ipse Fleckeisenus, ad finem actus 3:ii referunt. Causa mutatae distributionis apparet. Nam qvia post partem, qvam vocavimus, posteriorem cantici novae personae in scenam prodeunt, vacua post Myrrinae discessum scena indicio esse visa est actus finiti, dum e contrario antea Myrrinae ex aedibus properantis exitum in scenam sine mora seqvi debere putant, postqvam maritus, cujus compellationem uxor refugiat, domum introiit. At primum novarum personarum adventus nihil testatur, si statim venerunt, Myrrina domum se recipiente et tibiis jam silentibus; deinde Myrrina tum demum aspectum viri vitavit, qvem ante sermone retinere et ab aditu cubiculi, in qvo erat filia cum infante, prohibere debuit, cum ille

— — audiuisse uocem púeri uisust uágientis

et

ita corripuit dērepente tácitus sese ad filiam;

unde ipse dicit, domo rursus exiens:

Vxor ubi me ad filiam ire sénsit, se duxít foras.

Ac si interiores fabulae rationes spectamus, altera pars epitasis continetur actu tertio, qvarto altera, hujus vero partis principium repetendum est a partu filiae patri primum cognito, qvae res arcte connexa est cum iis, qvae in actu qvarto senes inter se et cum Pamphilo loqvuntur, et cum advocatione ibidem Bacchidis. Ergo nihil prohibet, qvominus sic sentire liceat: post vers. f. 515 et discessum etiam Lachetis tibicinem in vacua scena cecinisse; deinde matronam egressam esse et — ut persaepe canticum comitatus est jam ante inchoatus cantus tibiarum — ad tibias paulisper secum de rebus suis desperatis egisse, donec virum exeuntem audivit (v. 521) et, cum jam non solam se esse videret, ut in tali statu semper fit in cantico, ab hoc destitit; tum sermonem viri et uxoris amplius qvadraginta versibus sine tibicine habitum esse; postremo illam, solam iterum factam, meditationes animi perseqvi, id est hoc loco: canticum continuare. Itaqve tria sunt cantica hujus comoediae, unum ex iis bipartitum, qvorum qvodqve singulis de tribus personis, qvae nodi tandem soluti cum spectatoribus consciae fiunt, mandatum est. En concinnitas artis Terentii.

Cantica Hecyrae interlocutionibus carent. Propterea illud e praefatione Donati supra positum: *Cantica et diverbia summo in hac favore suscepta*

*) Cftr. Benfejus p. 340.

sunt — non ita licet interpretari, ut diverbia intelligamus canticis interjecta; sed, qvae alia diverbia dicantur, hic oritur qvaestio. Totam fabulam e diverbiis et canticis compositam valde placuisse grammaticus dicit, si vulgari opinione contenti erimus. Id vero mirifice sibi repugnans narraret de fabula *saepe exclusa,* ut ipse loqvitur paulo ante, qvi deinde ad prologi vers. 1 de bis explosa plura tradidit. At tum, cum tandem stetit fabula, totam summo favore exceptam esse dicit? Ne id qvidem, ut opinor; qvamqvam non nego his verbis, ut nunc sunt corrupta, comoediam totam designari videri. Mira esset pertinacia in eorundem verborum repetitione, si in singulis praefationibus Donatus, ubi de prima primisve actionibus, et qvem successum habuerint, refert, *cantica et diverbia* conjunctim commemorans, (qvae vocabula etiam inverso ordine ponuntur), nihil nisi *cantica et reliqva omnia* significasset, nec potius, ut in canticis, ita in diverbiis qvoqve partes qvasdam praeter cetera singillatim memorabiles intelligi voluisset. Id ipsum autem in ceteris praefationibus (nisi qvod alii interpretationi in Andria, fortasse minus recte, locum concessimus) eum fecisse jam explicatum est. Qvid igitur multa? Hoc loco ad Hecyram Donatus modulata ad tibias diverbia dixit, et ea qvidem longiora qvaedam et separatim per se, non breviter in mediis canticis, pronuntiata: qvae diverbia cum canticis in tertia certe actione comoediae *summo favore suscepta* *) esse grammaticus relatum legerat aut in Varronis libris de actionibus scenicis, qvem scriptorem in ejusdem comoediae argumento de distributione actuum auctorem citat **), aut in annotationibus e Varronis opere et aliunde in ipsis Terentii libris tum ascriptis, qvalibus fontibus secundariis in universum Donatus in praefationibus suis usus sane videtur ***). — Plene ac certo enumerare non possumus, sed aliqvatenus saltem nec temere conjectare, qvae in Hecyra diverbia modulate ad tibias pronuntiata et sine dubio simul, id qvod totius generis fuerit, cum magno qvodam vigore gestus acta plausus populi tulerint. Actus 2 et 3 initium sumunt, ille ab Lachetis uxorem objurgantis et Sostratae pro se causam dicentis sermone turbulento, hic a Pamphili, qvi redux in patriam factus omnia de conjuge timet, colloqvio cum Parmenone, qvi nova narrare properavit et nunc aegrum heri animum consolari

---

*) Videlicet: *ab actoribus*; nisi verbum mendosum est. Nam sic simpliciter poni *suscepta* pro *accepta* vel *excepta* vix potuit.

**) De actibus locutus addit: *Docet autem Varro neqve in hac fabula neqve in aliis esse mirandum, qvod actus impares scenarum paginarumqve sint numero, cum haec distributio in rerum descriptione, non in numero versuum constituta sit, non apud Latinos modo, verum etiam apud Graecos ipsos.*

***) V. de hac re, qvod dicit Ritschelius l. c. p. 322.

vult, dum nascitur intus puer Pamphilo et discursus cum clamore inde ortus foris auditur. Utraqve scena et verbis et metro tam est commota, ut, qvamdiu unus loqvitur, neqvedum apparet haud nescium eum esse praesentiae alterius personae, qvae simul venit, de cantico facile suspiceris. In his duabus scenis (v. f. 198—242 et 281—326) tibias passim auditas esse eo est verisimilius, qvod ante easdem novis actibus praecinere debuerunt. Atqve item fortasse, cum ante qvintum actum cecinissent, nondum mutae erant, ubi in prima scena Parmeno, ridiculus et nova sciendi cupidissimus, sed in eo studio semper delusus servus, de irrita sessione sua in arce hospitem praestolantis narrat, qvae repraesentationi rerum perqvam mimicae et tibiis comitibus accommodata videantur, sed canticum breve non sint, qvia in cursu narrationis de Bacchide exeunte verba facit, qvalia intra cantici fines de alius hominis adventu non fiunt. Affuerintne tibiae tantum huic soliloqvio Parmenonis (v. f. 799—807), an etiam brevi, sed arguto sermoni, qvi seqvitur, Parmenonis et Bacchidis, — seqvitur deinde hujus mulieris canticum, — non magis dicam, qvam num forte in ultima scena vividissima et ita forsitan per totum actum qvintum cecinerint. Qvod si de singulis diverbiis hujus generis vera conjeci, fuerunt in ore personarum prope omnium earum, qvas principes hujus comoediae Donatus nominat *), dum unius ex his personis canticum est. Sed satis de hoc.

Ad tibias ipsas nunc venimus. Canticum ordine primum (v. f. 361—408), maxime illud flebile, et bipartitum secundum (v. f. 516—520 et 566—576), in qvo nulladum spes salutis arridet matronae maestissimae, lugubribus modis tibiarum parium sinistrarum responderunt. Tertium vero (v. f. 816—840), post laetam rerum conversionem hilaritatis plenum, laetos sonos tibiarum dextrarum secum habuit. Neqve difficile cognitu est, ubi inter actus et in iis partibus fabulae, qvibus ad tibias pronuntiatum diverbium esse potuisse credimus, pares dextrae sinistris successerint. Post nubilum rerum statum in actu 1:o expositum sinistrae decebant et 2:i iram maritalem, qvae in ipso initio tumultuatur, ceteraqve in eodem actu tristitia, iracundia, timore ubiqve referta et 3:um totum, in cujus jam principio supra modum maeret, omnia timens, infelix ille Pamphilus, deniqve etiam 4:um, cui color manet tristis et austerus usqve ad adventum Bacchidis. Sed inter 4:um et 5:um nova rerum omnium facies interim exorta novis tibiis nuntiari debuit, et in hoc actu canticum Bacchidis, et qvae id seqvuntur laetissima, antecedunt, ut jam admo-

*) *Atqve in hac primae partes sunt Lachetis, secundae Pamphili, tertiae Phidippi, qvartae Parmenonis.*

nuimus, ridicula narratio Parmenonis et colloqvium Bacchidis cum eo, cujus nova noscendi cupiditas hic qvoqve et instigatur et fallitur, cum qvibus actus ultimi principiis tibiae laetae, si ullae, congruerunt. Atqve hinc intelligitur verba *tibiis paribus tota* plane sic, ut ad Andriam, explicanda esse, tametsi vicissitudo dextrarum et sinistrarum non in hac comoedia talis, qvalis in illa, fuit, sed tibiae dextrae semel admissae postea manserunt. Patet simul etiam illud, in hac parte tituli Hecyrae nihil, neqve dextrarum neqve sinistrarum nomen, ut alii arbitrati sunt *), excidisse, sed more in didascaliis recepto *tibiis paribus* pro *tibiis paribus dextris et tibiis paribus sinistris* scriptum esse (cfr. supra p. 19).

Qvod pollicitus eram fore, ut de tibiis ante dicta in comoediis perlustrandis confirmarentur (p. 17 sq.), id jam impletum esse opinor. Nunc in conspectu ponam cantica Terentii et immixta iis diverbia ad tibias modulata, praeterea ad fabulas tibiis earum annotatis, omissis autem in hac tabula iis longioribus extra cantica diverbiis, qvae ad tibicinis cantum pronuntiata esse videntur, qvia omnino incertiora sunt, qvae de his suspicatus sum.

Andria. Acta *tibiis paribus* (dextris et sinistris) *tota*.

1*a*) Versus fabulae 175—183:i initium (actus 2:i scenae 1:ae versus 4—12:i initium) prior pars cantici, cum diverbio. 1*b*) V. f. 206—214 (act. 2:i sc. 2:ae v. 1—9) posterior pars cantici. Vid. p. 67 sq.

2) V. f. 236—264 (act. 2:i sc. 4:ae v. 1—29) canticum cum diverbio. Vid. p. 67.

3) V. f. 338—343 (act. 3:ii sc. 2:ae v. 1—6) canticum cum diverbio. Vid. p. 69 sq.

4 et 5) V. f. 599 (in fine) —604 (act. 3:ii sc. 12:ae v. 1—6) et v. f.

---

*) Wilmannsius, cui tibias dextras tristes videri vidimus, dicit p. 47: „Quod ad Hecyram pertinet, cum omnes testes eam tibiis paribus actam esse consentiant, utrum dextris an sinistris temperata fuerit nescimus: verisimile autem est, si totius fabulae naturam respicimus, tibiis dextris tibicinem cecinisse“. Et Boeckhii de tibiis Hecyrae haec sunt p. 169: *Von der Hecyra, als einer weinerlichen Komödie, welche p a r i b u s (ohne nähere Bestimmung) aufgeführt worden, liesse sich annehmen, dass sie mit tiefen* (Flöten) *begleitet wurde.* Idem p. 167: *Steht p a r e s allein, wie in der Didaskalie der Hecyra, so fehlt die nähere Bestimmung aus Nachlässigkeit der Grammatiker oder Abschreiber.* Ac ne qvod genus opinionis abesset, ne maxime qvidem falsum, Kohlius p. 34 viri summi verba ita impugnat, ut ipse hilares et acutas dextras toti huic fabulae addixerit.

607—615 (act. 3:ii sc. 13:ae v. 1—9) duo cantica, posterius cum diverbio. Vid. p. 70 sq.

6) V. f. 625—641 (act. 4:i sc. 1:ae v. 1—17) canticum. Vid. p. 67.

Eunuchus. Acta *tibiis duabus dextris tota.*

1) V. f. 232—264 (act. 2:i sc. 2:ae v. 1—33) canticum cum diverbio. Vid. p. 43.

2) V. f. 292—303 (act. 2:i sc. 3:ae v. 1—12) canticum cum diverbio. Vid. p. 43 sq.

3) V. f. 549—556 (act. 4:i sc. 2:ae v. 1—8) canticum. Vid. p. 45.

4) V. f. 615—628 (act. 4:i sc. 3:a) canticum. Vid. p. 45 sq.

Heautontimorumenos. Acta *primum tibiis imparibus, deinde duabus dextris.*

1) V. f. 213—229 (act. 1:i sc. 3:a) canticum. Vid. p. 62 sq.

2) V. f. 668—678 (act. 3:ii sc. 6:a) canticum. Vid. p. 62 et 65.

Phormio. Acta *tibiis Sarranis tota.*

1) V. f. 179—192 (act. 2:i sc. 2:ae v. 1—15) canticum cum diverbio. Vid. p. 53 sq.

2) V. f. 231—246 (act. 2:i sc. 3:ae v. 1—16) canticum cum diverbio. Vid. p. 54 sq.

3) V. f. 465—470 (act. 3:ii sc. 4:ae v. 1—6) canticum. Vid. p. 58 sq.

4) V. f. 728—738 (act. 4:i sc. 6:ae v. 1—11) canticum cum diverbio. Vid. p. 55 sq.

5) V. f. 841—851 (act. 5:i sc. 6:ae v. 1—11) canticum cum diverbio. Vid. p. 57 sq.

Hecyra. Acta *tibiis paribus* (dextris et sinistris) *tota.*

1) V. f. 361—408 (act. 3:ii sc. 4:ae v. 1—48) canticum. Vid. p. 72 sq.

2*a*) V. f. 516—520 (act. 4:i sc. 1:ae v. 1—5) prior pars cantici. 2*b*) V. f. 566—576 (act. 4:i sc. 3:a) cantici posterior pars. Vid. p. 73 sq.

3) V. f. 816—840 (act. 5:i sc. 3:a) canticum. Vid. p. 72.

Adelphi. Acta *tibiis Sarranis tota.*

1) V. f. 196 (in posteriore parte) —208 (act. 2:i sc. 2:a) canticum. Vid. p. 38—40.

2) V. f. 254—259 (act. 2:i sc. 4:ae v. 1—6) canticum. Vid. p. 38 sq.

3) V. f. 299—319 (act. 3:ii sc. 2:ae v. 1—21) canticum cum diverbio. Vid. p. 35—37.

4) V. f. 610—633 (act. 4:i sc. 4:ae v. 1—25) canticum. Vid. p. 37 sq.

5) V. f. 855—881 (act. 5:i sc. 1:a) canticum Vid. p. 38 et 40.

II. Emendationes Terentianae.

Superiori disputationi qvaestionum criticarum specimen parvum adjungimus. Praefandi causa hoc tantum dicimus, emendationis in Terentii fabulis progressus a conjecturis probabilibus jam maximam partem exspectandos videri, cum e duobus codicum Terentianorum generibus *) alterius exemplum unicum nunc in bibliothecis reperiri potuerit liber Bembinus, alterius vero, e censura Calliopii, ut in vetustissimo qvoqve libro subscriptio indicat, ducti et mutationibus ab hoc viro circa seculum nonum excogitatis a poetae verbis remotioris, exempla, qvorum multitudo paene infinita esse dicitur, auctoritatem antiqvitatis in discrepantiis raro redoleant, cumqve codex Bembinus, qvi manu hominis parum eruditi, sed jam qvarto seculo scriptus est, multis et magnis erratis et ipse inqvinatus sit. Emendationes nostrae omnes, qvas judicio intelligentium committimus, conjecturae sunt, ad menda qvaedam antiqvitus orta corrigenda destinatae. Qvod aut de communi codicum scriptura aut separatim de Bembini in sqq. passim retulimus, editorum indiciis debemus.

I.

Heautontim. v. 645.

Sostrata, uxor Chremetis, postqvam ei maritus exprobravit imperium suum de filiola exponenda male eam olim exsecutam vitae fortasse meretriciae vel etiam servili filiam servavisse, suppliciter orans ita inducitur in editione Fleckeiseni **):

---

*) Vid. Ritschelii *de emendatione fabularum Terentianarum disputatio* (programma Vratislaviense ed. a. 1838), p. 10—12. Cftr. etiam Kraussii *Qvaestiones Terentianae criticae* (ed. Bonnae 1850), p. 15—17.

**) Ex hac editione versus Terentii etiam in sqq. afferuntur, levi tamen facta in verbis scribendis commutatione, qvae attinet ad *u* et *v*, *i* et *j* litteras ad nostrum scribendi modum ubiqve in hac posteriore parte hujus operis distinctas, ne nimia varietas, qvae hic oritura erat, oculos offenderet.

Mí Chremes, peccávi, fateor: víncor. nunc hoc te óbsecro,
Qvándo tuos est ánimus natu grávior, ignoscéntior,
Út meae stultitiae in justitia tuá sit aliqvid praésidi.

Versus ille, de qvo agitur, qvi et in libris MSS. sic est *) et vulgo eodem modo editus, — nisi qvod *qvanto* librorum Fleckeisenus in *qvando* Erasmo duce mutavit, — qvin nonnullis tamen displiceret, fieri non potuit: qvem, a Guyeto totum tamqvam spurium damnatum, Bentlejus nimia audacia ita refinxit: *Qvánto tu me es ánnis gravior, tánto es ignoscéntior* (ubi posterius *es* imperativum esse vult). Jure autem cum Bentlejo qvaeratur, num possit latine dici *animus natu gravior* pro eo qvod est *aetate gravior,* tum vero, num ingenium senile adeo in universum placabile sit, ut ipsa aetas ignoscentiores homines faciat, non potius per se, si nihil accedat, eos reddat morosiores, difficiliores, iracundiores. Editores qvidam post Bentlejum parum considerate contulerunt et Horatii C. III. 14. 25 sq.: *Lenit albescens animos capillos Litium et rixae cupidos protervae,* qvi versus de rixis aemulatione amatoria excitatis scripti nihil cum hoc loco commune habent, et Ovid. Trist. III. 6 (5). 31: *Qvo qvisqve est major, magis est placabilis irae,* ubi Ovidius versum Terentianum fortasse recordatus esse et Ruhnkenio videtur et Westerhovio, etsi non aetati provectiori, qvam illi in animo habuerunt, sed naturae praeclarae et magnanimae placabilitatem ascribit Ovidius (ut v. s. *Et faciles motus mens generosa capit* atqve exempla leonis, Achillis, Alexandri magni, Herculis satis superqve docent). Neqve Terentius, opinor, aliter. Nam in contentione blandissima, qvam inter se et virum suum facit uxor Chremetis, qvae tum qvidem, cum pro se deprecatur, mater est filii jam matrimonio jungendo maturi, id est, ut legum Atticarum ratio habeatur, minimum duodeviginti annorum, non respexit in se aetatis tenerioris, verum sexus muliebris imprudentiam atqve levitatem, in animo autem virili gravitatem hujus propriam, hunc animum ob id ipsum, qvod gravior, i. e. constantior, fortior, prudentior, sit, ad ignoscendum proniorem esse addens **), et ob eam rem ob-

*) Qvod ad illud *natu gravior* attinet. His verbis in libro Halensi a Brunsio typis expresso praepositum est *aetate;* idqve ut ex interpretatione aliena inter poetae verba receptum est, sic certe se habet etiam aliorum codicum in posteriore versus parte *tanto sit* vel *tanto* (in margine libri Berolinensis *tanto esto ignosc.*), unde Bothius edidit (a. 1822): *Qvanto tuus est animus gravior, tanto sit ignoscentior.*

**) Rem illustrant, in nulla sexuum collatione, elegia Ovidii et illud Ciceronis de Off. I. 25. 88: *Nec vero audiendi, qvi graviter irascendum inimicis putant idqve magnanimi et fortis viri esse censebunt. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atqve clementia.*

secrat, ut in viri sui *justitia,* qvam falso interpretantur „lenitatem“, stultitiae suae aliqvid sit praesidii, hoc est, ut justus et aeqvus judex decernat non debere prudentiam exspectari in muliere, qvam ipsa natura non meliorem creaverit. In haec si conveniret illud *animus natu gravior,* enarratio tantum, non etiam emendatio reqvireretur. At nusqvam spectatur in substantivo *natu* humana conditio, ut non de aetate dicatur, velut *magno natu, grandior natu, tantus natu;* neqve umqvam nisi in hanc sententiam id vocabulum in versu Terentii acceperunt. Sed unius modo litterulae additione opus est. Scripsisse enim poetam puto non *natu,* sed *natus,* h. e. *natura conformatus.* Cfr. ex. c. Varr. de re rust. I. 6: *alius ager bene natus, alius male;* Liv. IX. 2: *ita natus locus est: saltus duo alti, angusti silvosiqve sunt* cet.; Cic. de Or. I. 20: *idqve cum argumentis docuerat, qvod ita nati essemus, ut et blandiri suppliciter et subtiliter insinuare iis, a qvibus esset petendum, et adversarios minaciter terrere possemus* cet.; Plaut. Cas. II. 5. 35: *ita rem natam intellego.* Ac re vera apud Terentium cum virili virtute levem, ut Atheniensibus vulgo visa est, et prae illa spernendam naturam feminarum conferri versus ibi seqventes explanant. Qvemadmodum enim in alia scena Chremes ira rursus in uxorem mota exclamat: *Oh, pergin mulier esse?* (v. 1006), sic in hac, ubi in eam cum sensu suae dignitatis despicientiam mulieris statim exprompsit (v. 621), virilis mentis praestantia subjectissime ab ipsa concessa tam celeriter mitigatur, ut nullo aetati senili qvamvis humiliter praestito honore id ita facile fieri potuisse videatur (v. 647—649); et verba Sostratae, qvae tum seqvuntur, non de eo commonefaciunt, qvod Bentlejus annotavit, „stultos omnes et miseros esse superstitiosos“, sed apertissime feminarum stultitiam et superstitionem confitentur:

Ut stúltae et miserae omnés sumus
Réligiosae, qvom éxponendam dó illi, de digito ánulum
Détraho cet.;

ubi *misere* cum Westerhovio et aliis multo malim, qvam cum Fleckeiseno et Bentlejo *miserae.* Itaqve versum 645 sic constituens: *Qvando tuos est animus n a t u s gravior, ignoscentior,* mendum pervetus, qvod etiam cod. Bembinus et codices Servii, ad Aen. IX. 291 versum Terentii commemorantis, habent, feliciter correxisse mihi videor.

II—IV.

Adelph. v. 357. Andr. v. 703. Hecyr. v. 248.

His locis vetusto errore librariorum duo verba in unum confusa esse videntur.

In Adelphorum actus 3 scena 3 Demea secum dicere infit, ut Fleckeisenus edidit:

Dispérii: Ctesiphónem audivi filium
Uná fuisse in ráptione cum Aéschino.
Id misero restat míhi mali, si illúm potest,
Qvi aliqvoi reist, etiam meum ád neqvitiem addúcere.

In libro Bembino et in aliis MSS. ultimus versus post *etiam* habet *eum,* non *meum.* Possessivum Fleckeisenus approbavit, a Bothio inventum, qvi annotavit: „Friget *eum,* cum *illum* praecesserit. Raptum *m* a praegressa voce“. Qvamvis vero apte pater eum de duobus filiis, qvem fratri adoptandum non dederat, *meum* appellare potuerit, verius tamen, ut puto, erit *eum* non mutatum servare, in versu autem antecedente *illum* in *ĭlle eúm* dissolvere. Millies apud Terentium et poetas antiqviores in *ille* syllabam priorem corripi non est qvod gnaros moneam.

Andriae act. 4:i sc. 2:a Davum proponit in cogitationibus defixum, qvibus consilium novum pro hero minore reperiat. Cum Pamphilus, qvi servo graviter iratus non jam ei confidit, decrevit, si ita necesse foret, amore non dissimulato potestati patriae aperte obviam ire et Charinum rogavit: *Qvis vídeor?* hic autem respondit: *Miser, aeqve átqve ego;* haec seqvuntur e recognitione Fleckeiseni:

DA. *Consílium qvaero.* PA. *Fórti's,*
Scio, qvód conere. DA. *Hoc égo tibi profécto effectum réddam.*

In codd. MSS. est: *Scio qvid conere;* de qvo verissime Bentlejus: „Plane absurdum. Qvomodo enim vel Charinus vel Pamphilus praescire id posset? Cur etiam et postea alter interrogat *Qvid est?* alter *Qvid facies? cedo:* si jam resciscerent?“ Ipse excogitavit: *Si qvid conere;* qvod, Charino ab eo tributum, adhortantis esset. Sed diffidentis et cum ironia laudantis est, qvod servo dicitur, et qvidem a Pamphilo: utrumqve enim responsione Davi firmatur. Multo autem clarior, qvam cum Fleckeiseno *qvid* in *qvod* mutando, sententia fit et propius ad codicum scripturam acceditur sic:

PA. *Fórti's,*
Scić, q v i i d cónere. DA. *Hóc ego tibi profécto effectum réddam.*

Scio, qvod saepe iambus est (vid. Ritschelii Prolegom. Plautina p. CLXVII), Pamphilo necessario tribuendum est etiam in v. 669, ibi qvoqve ironice positum.

In Hecyrae act. 2:i sc. 2:ae v. 5 sqq. verba, qvae sunt Lachetis, Fleckeisenus e libris ita reddidit:

Phidíppe, etsi ego meis me ómnibus scio esse ádprime obseqvéntem,
Sed nón adeo ut mea fácilitas corrúmpat illorum ánimos:
Qvod tú si idem facerés, magis in rem ét vostram et nostram ésset.

Intolerabile est anacoluthon, cum in tali brevitate dicendi plane desit enuntiatio primaria. Neqve id ferre potuit, qvamqvam agnoscitur etiam a Donato et a Charisio (p. 229 Keil.), Bentlejus, qvi ideo conjecit: *Phidíppe, et ego meis me omnibus* cet. At et origo vitii et semel orti pertinacia melius, opinor, hoc modo declaratur: in versu *Sed nón adeo, ut mea fácilitas corrúmpat illorum ánimos,* sive compendio scripturae male intellecto sive voce dictantis non recte audita, e *sum id* factum est *sed.*

V.

Phorm. v. 368.

In prioribus versibus scenae 2:ae actus 3:ii (falso 2:i) hujus fabulae Phormio parasitus et Geta, simulantes se non videre Demiphonem et advocatos, qvibuscum jam ille adest, colloqvium continuant, qvo Phormio nunc criminationes fictas in Demiphonem cum omni fidei ostentatione profert, Geta vero, ut a se omnes suspiciones heri avertat ab eoqve gratiam ineat, hunc defendit et calumniatori saepe maledicit. Parasitus neglectum turpi avaritia Demiphonis pauperem hujus cognatum, qvem totum finxit, cum qvestus est, exclamat: *At qvém virum! qvem ego víderim in vita óptumum.* Seqvitur deinde versus, qvi in Fleckeiseni et aliorum editionibus hic est:

GE. *Videás te atqve illum, ut nárras.* PH. *I in malám crucem.*

In verbis Getae libri MSS. nihil variare dicuntur; tantum in iis, qvae Phormioni tributa et in libro Bembino sic scripta sunt, varietas qvaedam exstat. Neqve priorem partem versus, in qva inest difficultas, correctionibus tentatam vidi, praeterqvam a Palmerio, qvem Bentlejus merito exsibilat, et ab ipso Bentlejo, qvi in annotatione dicit hoc sibi in mentem venisse: *Vidísti nullum, ut nárras. I in malám crucem.* Multa autem ad sententiam interpretandam qvaesita sunt. In Donati commentariis qvattuor explicationes inveniuntur, qvarum tantum prima, qvae ipsius Donati fortasse sola est, digna videtur, qvae afferatur: *Hoc est: parem*) te illi existimo atqve illum tibi.* Recen-

*) Hanc vocem pro absurda *parentem* conjectura inventam (v. Terentii Westerhoviani vol. 6 p. 330) inter verba Donati posuit Klotzius.

tiorum temporum enarrationes omnes eas, qvas novi, commemorare supersedeo *). Nam hic locus, ut nunc est, non potest idoneo et ad persvadendum apto modo explicari. Excidit enim vox tota, idqve ita, ut saepenumero idem factum est in Terentio, apud qvem poetam librarii antiqvi saepe voces iteratas aut praecedentibus vel seqventibus similes praeterierunt; velut in Adelph. v. 687: *Jam íd peccatum prímum magnum, m a g n u m, at humanúm tamen;* in Phorm. v. 643: Ge. *Qvid? nímium qvantum.* Ch. *Q v á n t u m? dic;* in Heaut. v. 168 sq.: *Miserétqve me ejus; séd ut dieï témpus est, T e m p ú s t monere me húnc vicinum Phániam;* in Hecyr. v. 206: La. *Tu néscis?* So. *N e s c i o, íta me di ament, mí Laches;* in Hecyr. v. 201: *Itaqve ádeo uno animo omnés socrus o m n í s s u a s oderúnt nurus;* in Eunuch. v. 968: *Dícam huic an non d í c a m? dícam hercle;* in Adelph. v. 37: *Aut cécíderit a l i q v a á t q v e aliqvid praefrégerit:* cfr. edit. Fleckeiseni. Praemoneo etiam de indubitata *malus, malum, malam* formarum pronuntiatione apud poetas vetustissimos, sicubi opus est, monosyllaba **), qvae in versu Terentii unam syllabam adjici patitur. Itaqve hunc versum ita constituerim:

GE. *Videás te a e q v e atqve illum, út narras.* PH. *I in malám crucem.*

Clara oritur sententia. *Aeqve* enim spectat ad praegressum *optimum.* Geta

*) Ex. c. proponamus hanc Ladewigii („*Beiträge zur Kritik des Terentius*", programma Neostreliciense, ed. a. 1858, p. 17): *In den Worten des Geta sehe ich einen beabsichtigten Doppelsinn; je nachdem nämlich das illum auf den Stilpo oder auf den Demipho bezogen wird, erhalten die Worte ganz verschiedene Bedeutung. Auf jenen bezogen, heissen sie: vergleiche nur dich in deiner Schlechtigkeit mit der gerühmten Vortrefflichkeit jenes; auf diesen aber: schau dich und ihn bei deinen Worten an, so dass Geta seine Freude über die Frechheit, mit der Phorm. lügt, und über das Staunen des Dem., der seinen Ohren kaum trauen will, ausspricht.* — In Germanicum verba Terentii convertit Benfejus: „*Denkst sicher an ihn und dich nur*", in annotatione, in qva etiam *vides* pro *videas* legi se velle ait, hanc interpretationem ita explicans: „*Nach deinen eigenen Worten [ut narras] siehst du nur ihn und dich*"; *mit andern Worten:* „*er mag leicht besser als du gewesen seyn, aber schlechter als jeder Andre*". *Beissender konnte er wohl nicht gut Beide zugleich beleidigen.* — Donnerus vero germanice reddidit: „*Ganz also, wie du selber!*" Qvi rem acu prope tetigit, tametsi in annotationibus nihil de mutanda hoc loco scriptura dicit; qvemadmodum etiam Stallbaumius aliqvatenus ad veram loci sententiam appropinqvat, ubi Bentleji conjectura commemorata addit: „Vereor ut qvidqvam mutandum sit. Phormio cum dixisset *qvem viderim*, Geta ejus mendacia facete exagitaturus respondet: *Possit qvis te atqve illum cernere, prouti narras:* h. e. adeo speciose mentiris." Qvamqvam nihil potest esse magis falsum, qvam simul in *videas* de subjecto indefinito et in *te* de Phormionis persona cogitare.

**) V. Ritschelii Prolegomena Plautina p. CXLII sqq. et Corssenii „*Über die Aussprache, Vokalismus und Betonung der Lateinischen Sprache*" II. p. 105 sqq.

igitur, cum mendacium de homine omnium optimo audivit, hoc dicit: Non minore virtute et probitate, qvam ille fuerit, te ipsum esse videas, ut hoc temporis momento te ostendis, dum, impudenter mentiens, hanc rem ista veritatis specie narras. — Retinui in posteriore parte versus scripturam codicis Bembini, ut qvintus pes anapaestus sit, qvod permittunt duae leges metricae notissimae, correptio in monosyllabis longae vocalis ante vocalem in hiatu et neglecta saepe apud Plautum et Terentium positio in consonante *in* particulae; qvemadmodum hoc loco eaedem syllabae breves sunt in arsi pro iambo positi dactyli e lectione vulgo recepta. Et tamen etiam Donati illud „adverbialiter", ut appellat, dictum *In malam crucem!* commendabile est, si cui displiceat correptum *I* in thesi versus iambici.

VI.

Eunuch. v. 267.

Sed ego césso
Ad Thaïdem hanc dedúcere et rogáre ad cenam ut véniat?
Sed Pármenonem ante óstium † Thaidis tristem video,
Rivális servom: sálva res. ni mírum, hisce homines frígent.

Plane sic Fleckeisenus; qvi in claudicante versu libros MSS. secutus obelum addidit. Mendo in *Thaidis* non dubio qvomodo mederi conati sint editores ante Bentlejum, apud hunc vide. Ipse ita: *Set Pármenonem ante óstium opperíri tristem video.* Bothius graece reposuit Θαΐδίου. Hermannus Element. doctr. metr. p. 151 conjecit non feliciter: *Sed Pármenonem ante óstium hic Tháidis tristem vídeo,* loco in qvarto pede propter caesuram hiatui et pyrrhichio concesso. Klotzius edidit: *Set Pármenonem ante óstium Thaidis hic tristem vídeo.* Deniqve Kayserus in censura editionis Terentii Fleckeisenianae l. c. p. 325 dicit: „*Eun. 267 könnte Thaidis halbwegs eine Corruption aus hic astantem sein, vergl. Heaut. 960: hic patrem astare aibas.*" Cftr. etiam Phorm. v. 607: *Sed pátruom video cúm patre astantem*; Hecyr. v. 428: *Sed Pámphilum ipsum vídeo stare ante óstium;* Hecyr. v. 854: *Sed Bácchidem eccam vídeo stare ante óstium;* Plaut. Menaechm. v. 631 sq.: *Nón ego te modo híc ante aedis cúm corona flórea Vídi astare?* et v. 676: *Mí Menaechme, cúr ante aedis ástas?* Qvorum exemplorum ratione habita certe qvidem videtur, si qvod intercidit verbum, *astare* vel *stare* potissimum addendum. *Thaidis* autem unde venit in versum? In qvo sufficiebat *ejus,* cum nomen mulieris in versu superiore jam allatum esset et ibidem ad *veniat* cogitetur. Sed enim ad eum qvidem locum non absurdum erat in margine

interve lineas annotare *Thais,* et forsitan haec ipsa fuerit origo corruptionis, qva versus, de qvo agitur, laborat. Ad hunc enim Donatus hoc habet: „*Thaidis.* Legitur et *Thais*". Et constat ortum mendorum in libris veterum et in ipsius Terentii saepenumero ex eo repetendum esse, qvod alienis explicationibus eae voces, qvas illae ad interpretandas destinatae erant, locum cesserunt. *Ejus* vero, ut ad hanc formam redeam, pariter atqve *hujus* et *cujus,* monosyllabum in Terentii, sicut in Plauti, fabulis perqvam freqventer esse non opus est exemplis, in notissima re, probare. Qvae cum ita sint, verisimillimum esse puto poetam scripsisse:

Sed Pármenonem ante óstium ejŭs astáre tristem vídeo.

VII.

Hecyr. v. 163.

Parmeno hujus fabulae Philotidi et Syrae narrat de Pamphili heri minoris rebus sollicitis, qvi, cum in medio amore Bacchidis versaretur, invitissimus cogente patre Philumenam uxorem duxisset: diebus pauculis post nuptias juvenem Parmenoni dixisse intactam virginem usqve ad id tempus a se relictam esse uxorem sibi obtrusam et eo se tendere, ut ipsa tandem, satis intellecto se cum hoc marito non posse vivere, consilium caperet in patris domum redire. Tum ita sermo continuatur:

PH. *Qvid? intérea ibatne ad Bácchidem?* PA. *Cotídie:*
Sed út fit, postqvam hunc álienum ab sesé videt,
Malígna et multo mágis procax facta ílicost.
PH. *Non édepol mirum.* PA. *Atqve éa res multo máxume*
Diiúnxit illum ab ílla, postqvam et ípse se
Et íllam et hanc qvae dómi erat cognovít satis
[Ad exemplum ambarum mores earum existimans].
Haec, íta uti liberáli esse ingenió decet,
Pudéns modesta, incómmoda atqve injúrias
Viri ómnis ferre et tégere contumélias.
Hic ánimus partim uxóris misericórdia
Devínctus, partim víctus hujus injúriis
Paulátim elapsust Bácchidi atqve huc tránstulit
Amórem, postqvam pár ingenium náctus est.

Versum, de qvo qvaerimus, qvem in omnibus codd. ita scriptum esse dicunt

et talem etiam Donatus invenisse videtur *), uncis inclusit Fleckeisenus (cujus recognitionem hoc qvoqve loco reddidi), cum insiticium etiam olim Guyetus et postea Kraussius **) judicassent. Corruptum esse consentiunt multi, ut Bentlejus, Ruhnkenius, Stallbaumius; et Bentlejus qvidem jure ait, tametsi non *earum* modo, sed etiam *ambarum* ad *mores* referre ei placuit: „Ad qvod, qvaeso, exemplum? Si dixisset: *Hujus mores ad exemplum alterius;* qvid illud esset, intelligerem: sed *Ambarum mores ad exemplum* mera caligo est; nisi, qvod sit exemplum, indices." Nam desideratur profecto nomen rei ambarum propriae, sed in iis dissimilis, cujus ad exemplum Pamphilus mores earum aestimaverit. Verum idem vir summus non sane probabiliter *ad amussim* posuit pro *ad exemplum.* Geppertus *aliarum* pro *ambarum* scribi vult, *earum* et cetera non mutans ***); *aliarum* etiam Kaysero l. c. p. 287 in mentem venit, et *hujus* pro *earum;* sed et Gepperti et Kayseri correctio cum sensu loci pugnat; neqve enim sermo est de aliarum mulierum comparatione ulla cum Philumena et Bacchide, neqve de collata cum aliis feminis Philumena sola, ut opinatur Kayserus, dicens: „*Pamphilus hätte dann das Benehmen seiner Frau mit dem anderer Weiber verglichen. Von der Bacchis kann hier keine Rede sein*"*:* agitur vero, ut et antegressi versus et conseqventes clare docent, de collatis inter se Bacchide et Philumena. — Si pro *ambarum* reponas *amorum,* tolerabilis fortasse fit sententia. Ita enim componerentur inter se amores meretricis, ad qvos tamen juvenis post nuptias numqvam a pristina amica admissus est (cfr. v. 750 sqq.), et castae conjugis, qvibus Pamphilus post duos menses frui coepit (cfr. v. 393 sq.), et ex ea diversitate ille tandem omnem morum et ingenii dissimilitudinem intellexisse diceretur. Sed praeposterus sic esset ordo narrationis, neqve ipse hac explicatione acqviesco. Mutationibus igitur aliqvanto majoribus hic versus videtur turbatus; qvi plane eam sententiam, qvae exspectanda est, exprimit, hoc modo correctus:

Ad exémplum morum amórem earum existumans;

h. e. ex malignitate et procacitate (ut Parmeno interpretabatur) Bacchidis

*) Hoc tamen non certum est. Annotationes enim tantum exstant ad verba *ad exemplum* et *existimans;* priore illo loco haec: *Qvasi ad imaginem et collationem et speciem comparationis.*

**) In *Qvaestionibus Terentianis criticis,* p. 45 sq., et in Museo Rhenano a. 1853 p. 547. Hoc loco fatetur non ob neglectam, qvam proponit *ĕxemplum,* positionem condemnari versum posse.

***) „*Ueber die Aussprache des Lateinischen im älteren Drama*", p. 90.

et rursus e verecundia, modestia, patientia indulgentiaqve Philumenae judicium faciens, qvanto pluris, qvam meretricis, bonae uxoris amor aestimandus esset.

VIII. IX.

Heautontim. v. 583. Phorm. v. 20 sq.

Transpositorum, ut conjicio, versuum duo exempla afferam. In Heautontimorumeni act. 3:ii sc. 3:a Chremes ex aedibus se proripit cum Clitiphone filio, qvem graviter increpat, qvod eum cum sui amici, hospitio ibi excepti, Cliniae, ut senex credit, amica nimis petulanter ludentem offenderat. Est ante in scena Syrus, qvi re audita bis secum loqvitur, initio veritus, ne dolus audaciae singularis, qvo Bacchidem, qvasi amatam Cliniae puellam, in domum Chremetis introduxit, jam detectus sit. Postqvam autem senex, cum filius de fide sua amicum non dubitare asseveravit, aliqvanto magis sedato animo, qvanta tamen cautione opus sit, ne Clitipho molestus fiat amantibus, et hanc ob causam eum praesentiam eorum vitare debere dixit idqve pro sua sapientia exemplo e suo ipsius vitae usu petito confirmavit, Syrus et Clitipho inter se loqvuntur; qvorum ille paedagogi munus, qvod sustinuerat, perseqvens, severe et acerbe, audiente sene, impudicitiam adolescenti objectat atqve simul obliqve in eo nihil nisi imprudentiam reprehendit, hic vero veteratoris verba contemptim repudiat. Tum conseqvitur is versus, de qvo est qvaestio:

CL. *Nón accedam ad íllos?* CH. *Eho qvaeso, úna accedundí viast?*

Qvod Clitiphonis hic est, id Syro dicere non potest, sed, si tamen versus hunc locum recte teneat, patri, cui ideo, qvod respondetur, tribuitur; hoc vero responsum non bene se habet. Cum enim sic patrem roget filius, num revera sibi non liceat ad amicos redire, Chremes neqve ait neqve negat, sed qvaerit, sitne una, qvam noverit filius, via ad eos accedendi illa impudica. Etenim hanc sententiam e verbis Chremetis elicere studuerunt interpretes; male vero Calphurnius, interrogatione nulla in responso agnita, annotavit: „*Eho.* Hoc loco admonentis est. *Una via.* Scilicet honesta: ne qvid impudice agas." Judicio aliorum commissum voluerim, nonne pro tali obscuritate restitui versu transponendo lux, et hic versus sedem suam recepisse videatur eo loco, qvo eum infra migrare jussi, ubi omnia eum in libris usqve ad finem ejusdem scenae seqventia secundum Fleckeisenum exhibentur:

SY. *Áctumst: hic prius se índicarit, qvám ego argentum effécero.*
Chremés, vin tu homini stúlto mi auscultáre? CH. *Qvid faciám?* SY.
Jube hunc

Abire hinc aliqvo. CL. *Qvó ego hinc abeam?* SY. *Qvó lubeat: da illis locum.*
CL. *Nón accedam ad illos?* SY. *Eho qvaeso, úna accedundi via est?*
Abi deámbulatum. CL. *Deámbulatum, qvó?* SY. *Vah, qvasi desit locus.*
Abi sáne istac, istórsum, qvovis. CH. *Récte dicit, cénseo.*
CL. *Di te éradicent, qvi me hinc extrudis, Syre.*
SY. *At tú pol tibi istas pósthac comprimitó manus.*

Septenarius trochaicus etiam alibi in hac eadem scena inter alios versus interjectus est. Illud autem vix opus est dici, adolescentem, cum in aedes abire conetur, a Syro interrogari, num praeter eo accedendi viam nulla ibi sit, et non modo verbis servi, sed etiam manu repelli, donec imperio patris filius obedire cogitur.

In prologi Phormionis priore parte obtrectatori suo Luscio Lavinio Terentius, ut solet, paria refert. Versus 18—21 sic sunt apud Fleckeisenum et alios:

Ille ád famem hunc ab stúdio studuit reicere:
Hic réspondere vóluit, non lacéssere.
Bènedictis si certásset, audissét bene:
Qvod ab illo adlatumst, id sibi rellatúm putet.

Non vidi qvemqvam offendisse horum versuum ordinem; sed tertius et qvartus nescio an errato veterrimo locos inter se permutaverint. Etenim tertius, cum ipse demonstrativo careat, non satis bene conseqvitur eum versum, in qvo *hic* pronomen ad Terentii spectat personam; et qvarto, adlata relata esse memoranti, apta sedes erit proxima ab illo, in qvo Terentius lacessitus respondisse dicitur. Melius ergo et a poeta, nisi forte ipse negligentius scripsit, profectum hoc est:

Qvod ab illo adlatumst, id sibi rellatúm putet:
Benedictis si certásset, audissét bene.

X.

Heautontim. v. 32.

Periculum faciam mendi pervetusti ita corrigendi, ut recepta conjectura Bentleji, qvae ulcus hujus versus non sanat, sed sanandi viam praeclare iniit, praeterea elementorum levi mutatione aliam sententiam et loco commodiorem exhibeam. Actor prologi, causam poetae contra inimicum Lavinium et alios

malevolos apud populum agens, illud praeter alia dicit, si libros MSS. cum Fleckeiseno seqvimur:

Facite aéqvi sitis: dáte crescendi cópiam,
Novárum qvi spectándi faciunt cópiam,
Sine vítiis: ne ille pró se dictum existumet,
Qvi núper fecit sérvo currenti ín via
Decésse populum: qvór insano sérviat?

Si nihil mutatur, sic verba ultima interpretanda sunt, ut interrogari dicamus, cur poeta debeat insani hominis, adversarii sui, commodis servire. Sed non sine causa Bentlejus hoc admonuit: „cum *servum currentem* dixerit, *servire insano* necesse est proprie accipi, non figurate". Et rectissime negat percipi posse, qvodnam *vitium* illud fuerit, populum currenti servo de via decedentem facere: qvoniam saepe apud Plautum servi et parasiti malum cuivis minitantes, si qvis currentibus sibi et properantibus obsistat, inducantur; velut in Curcul. v. 280—298, Stich. v. 285—287, Amphit. v. 984—987, Capt. v. 791—822; qvales minationes qvam freqventes in fabulis palliatis fuerint, docent verba Mercurii, Jovis nuntii persona servi induti, in Amphitruone:

Concédite atqve apscédite omnes, dé via decédite.
Nec qvísqvam [nunc] tam audáx fuat homo qvi óbviam opsistát mihi.
Nam míhi qvidem hercle qví minus liceát deo minitárier
Populó, ni decedát mihi, qvam sérvolo in comoédiis? *)

Sed dixerit qvispiam usitatissimas illas qvidem in comoediis fuisse currentium servorum minas, in eo autem Lavinium peccasse, qvod populum, his minis obtemperantem, servo, qvasi honoris causa magistratui, via decessisse finxerit; et id ipsum Guyetus, qvem Bothius seqvitur, opinatus est. At vero occurrit Bentlejus etiam ejusmodi interpretationi hoc addito, qvod nemini rerum scenicarum antiqvarum gnaro dubium esse potest: „Qvid, qvod viae istae extra scenam sunt, in scena servus minatur, ultra scenam cursurus, ideoqve, utrum populus via decesserit necne, spectatores videre non poterant". Nihil igitur restat, si, qvod scriptum est in codicibus, retinetur, nisi ut cogitemus aliqvem in scena commemorasse, qvomodo servo omnes cives decessissent de via. Qvalis narratio, seu servuli ipsius magnifice se jactantis, seu alius cujusvis personae, qvid tandem habere potuit tantae offensionis, ut Terentius Luscium Lavinium hujus rei apud spectatores accusare satis habiturus fuerit? — praesertim cum illud ne in cogitationem qvidem cadat, tale qvid de po-

*) Ex editione Plauti Fleckeiseniana.

pulo Romano scriptorem fabulae palliatae in ea aliqvo modo attulisse. Gravius sane qvodpiam peccatum, non id, qvod nullum videretur, Terentius hoc loco in adversario notavit. Itaqve jure Bentlejus *decesse* rejecit et bene in ejus verbi loco posuit *dixisse,* qvod jam ante Perizonius conjecerat et postea approbavit Ruhnkenius. Sed cetera in hoc versu nemo expedivit. Credit enim Bentlejus a Luscio aliqvem in cavea fuisse constitutum, qvi populi spectantis nomine cum histrione verba faceret: hoc igitur ei poetae vitio verti, qvod populum eo modo in scenam induxerit cum servo loqventem. At ipsa verba, qvae e cavea dicta essent, qvalia fuissent in ore loqventis cum actore spectatoris? Cum his verbis, in qvibus nihil correxit Bentlejus, comparavit versum Curculionis Plautinae 200: *Cédo mihi contra aúrichalco, cui ego sano sérviam,* qvem dicit servus domini amore insanientis, et initium Pluti Aristophaneae, ubi omnes deos servus testatur, qvam sit molestum *Δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου*; verum si Terentius inauditam in fabula agenda novitatem inimici criminatus esset, alio qvodam modo id fecisset neqve verba repetisset non sane notabilia, etiamsi haec ipsa Lavinius tribuisset homini de cavea clamanti; hic vero poeta non eorum certe verborum causa caveam in scenam commutasset. Videtur autem a servo in scena agente et spectatores, ut fit, alloqvente responsum sibi datum facile fingi potuisse: qvemadmodum in prologo Captivorum actor, postqvam de argumento fabulae narravit, rogat: *jam hoc tenetis?* et primum addit, qvasi annuerint spectatores: *optumumst,* deinde, velut si qvidam negarit: *negat hercle vero ille ultumus,* et qvae seqvuntur reliqva. Qvis non videt non modo nutum et renutum, sed qvaevis verba spectatoribus ita potuisse ab jocante histrione assignari? Atqve id si in comoedia Luscii sic se habuit, ille revera *fecit servo currenti in via Dixisse populum;* sin autem reapse spectatorem cum actore loqventem induxisset, non *dixisse,* sed *dicentem populum* fecisset *). Pergam nunc ad cetera, si possim, explicanda. Servis num Romae inter spectatores fabularum scenicarum locus concessus sit, Ritschelius **) suo jure addubitat, ut tamen, testibus veteribus auditis, hoc judicium faciat: „legitimum qvidem et qvavis offensione vacuum ad caveam aditum servis non fuisse, sed eundem usu tamen, sive abusum dicere malueris, invaluisse atqve id licentiae servis indulsisse magistratus.“ Cujus licentiae maxime luculenta testimonia ad tempora liberae reipublicae aetate Luscii Lavinii et Terentii inferiora pertinent; ut autem

*) Comparandus est infinitivi usus loco Horatiano Sat. I. 2. 21. Nam *pater ille, Terenti Fabula qvem miserum gnato vixisse fugato Inducit,* non tam misere *vivens* proponitur in hac fabula, qvam *vixisse* narratur.

**) *Parergon* p. 223—225 et XIX sq.

hac aetate superiore multo minor abusus ille fuerit, acrior contra, sicut in omni disciplina, ita in servitiis a contagione malorum exemplorum, qvae scena iis offerret, removendis severitas, haec ipsa res declarat majus visum tum esse peccatum poetae comici, si qvis servorum infidelitatem judicio populi approbatam finxerat, id qvod Lavinium fecisse conjicio. *Servus currens* in fabulis palliatis (cfr. prol. Heautont. v. 37 et Eunuch. v. 36) qvalis fuerit et qvomodo in magna festinatione orationes perlongas in scena habuerit, exemplis notum est. Talis igitur cursor si in fabula Luscii Lavinii talia qvestus est, qvalia in Plauti Mercat. v. 123 sqq. Acanthio servus:

Perii: seditioném facit lien, óccupat praecórdia.
Simul énicat suspíritus: vix súffero hercle anhélitum.
Perii: ánimam neqveo vórtere: nimis níhili tibicén siem.
Numqvam édepol omnes bálineae mi hanc lássitudinem éximent:

vel si timores protulit, qvales Stasimus in Trinummi v. 1011 sq.:

Cáve sis tibi, ne búbuli in te cóttabi crebri crepent,
Si áberis ab eri qvaéstione: né destiteris cúrrere:

si, inqvam, in scenam prorupit qveribundus, sibi timens, labores serviles aegre ferens, idemqve, cum ad caveam conversus adeo iniqvam sortem lamentaretur, se audire simulavit vocem spectatoris, cur iste servus tam insanus esset, ut servus manere vellet, mirantis, et ita illud servis promptissimum consilium *aliqvid convasandi atqve protinam se in pedes conjiciendi* (vid. verba in Terent. Phorm. v. 190) sibi vel inditum vel firmatum autumavit: profecto tali exhortatione *furti* et *fugae* (Phorm. v. sq.) spectatoribus tributa palam laesa et bona disciplina et Qviritium dignitas videri potuit, ut actori prologi in alloqvendo populo Romano adversarium Terentii hujus peccati accusare liceret, hanc addenti denuntiationem:

De illius peccatis plúra dicet, qvóm dabit
Aliás novas, nisi finem maledictis facit.

Itaqve corruptum vocabulum corrigere sic ausim:

— — ne ille pró se dictum existumet,
Qvi núper fecit sérvo currenti in via
Dixisse populum: qvór i n s a n u s serviat?

Etenim vitia versus proximi et mendis librarii, velut pro *s* duabus confinibus una littera scripta, et falsa loci explicatione oriri potuerunt.

